

Liber mitis

[Page 30]

[88ra] Incipit Liber mitis, quem edidit Guido Aretinus in his, quae sunt maxime opportuna in medicina volentibus operari, quem licet vocare celesium, scilicet liber de regulis et ordine medicandi.

[PROOEMIUM]

Ponendum principium orationi cum laude Dei et auxilio Creatoris, quae confundat errores plurimum antiquorum medicorum et extirpet multa mendacia medicinae non ex arte sed per abusum latinorum introducta, qui iure cum nihil sciant de nihilo gloriantur et imperitis scholaribus et sibi exclusis et mendacissimis commentis et quasi rusticanis phantasticas sibi adduxerunt rationes in periculum perventuras. Hi periture iurant artem ignorantes illud satiricum gloriosum: Omnibus in terris, quae sunt a Gadibus usque Auroram et Gangem, pauci disgnoscere possunt vera bona atque diversa, remota erroris nebula. Insuper illud poeticum: Nullius adductus iurare in verba magistri.

Immo dicunt: Sic est. Quare? Quia sic inveni apud Tesibum vel Tesilo deteriolem. Qui volentes solvere simulant solutionem ampullosis detinendo diem. Dicunt enim et non solvunt: nam non omnis qui dicit solvit.

Ponunt magnam ambiguitatem in rebus facilibus; circa difficiles, ut ait Avicenna, pertranseunt discurrendo. Rident naturalem, astrologum, geometram, cum hos salutaverint a remotis et philosophiam aspexerint a longinquo, et dicunt: Quid prodest medico depingere pentagonum, quadratum, etiam circulo caveam et chordam arcus invenire? Hi autem

ut meretrices non solum in se peccant, sed alios mirabiliter, immo fatue cadere faciunt meliorem. Nec eos gravius credo peccari posse. Si quem nisi in arido Johannitio vel ab antiquis miserabili Pessulano et vesano Salerno studentem vident, despiciunt corde nec ore tamen, sicut vulpes retas arridet quia contemnunt, ne videantur [...] ab omnibus his. Aspiciunt miserabiles mincturas in plateis concutiendo foetida urinaria, ut alios fatuos ad se currere faciant cum urinis. Simile aucupatoribus fit, qui volatilibus alia volatilia repraesentant, ut similitudine decepta corruant in retia moritura

[Page 32]

Vestiuntur rubea auricella, ut confundant sensum, et ipsi medici, qui, si opus meum subsannare volunt, in veneno invidiae tabescentes non legant nec detrahant. Addit enim invidus laudi in detrahendo, et stultus manifestat se ipsum. Hoc enim opus sapienter a sapientibus emendatum modicam correptionem recipiet et approbatum ex evidentia facti. Si veritas est immutabilis, non mutabitur in aeternum. In quo intendo determinare, divini amoris intuitu et ad remedium meorum peccatorum, ut mea posteritas intensius duret, quidquid umquam melius, certius et perfectius complere et sine diminutione cum ex me, tum ex multa philosophorum inquisitione, in qua, Deo gratias, obtinemus eminentiae speculum intellectus, et optimorum doctorum industria accipere potui. Quae quidem certificavi per experimentum, quod est potissime in negotio medicinae, ut inquit Aristoteles in primo Metaphysicorum, vel per diligentem inquisitionem cum existimatione propinqua veritati. Oro igitur et quia [88va] nova tradito et apud medicos inusitata, ut, antequam

lecta relectaque plenius intellegas, repentintino nimis iudicio non redarguas. Ille rationis inops iudex dignoscitur esse,

qui rem propositam, nisi prius perfecte deliberetur, aut subitis laudibus extollat aut continua damnatione deprimit. Facile enim quilibet de re mentitur, quam non plenarie mente complectitur, et ideo dixit Johannitius dicens in Aphorismis suis: Si interrogatus velociter respondeas, suspectus es, quia sermonem eruditi praecessit deliberatio. Et quanta qualive affectione propter Deum et homines movear erga scholares, sermo sequens evidenter manifestabit. Maloque de rudi sermone et intelligibili indebite reprehendi quam de ornato et obscuro vituperabiliter, ut

multi faciunt, commendari. Hunc vero librum ad honorem Illius, qui est trinus in personis et unus in essentia, in tres distribuam partes; in quarum prima determinabo distinguendo per capitula, quod intendam, certum numerum capitulorum apponendo, ut, quod quaeritur, facilius inveniatur. Prima pars habet capitula XXII. Secunda pars habet capitula XVII. Tertia pars habet capitula X.

[Page 34]

INCIPIUNT CAPITULA I. LIBRI

Capitulum I partis primae. De ordine medicandi.

Capitulum II. De confectionibus siruporum, quibus digerimus materiam, tam in acutis quam peracutis quam interpolatis, secundum usum medicorum nostri temporis et illorum, qui rectius perscrutantur, diversificando ipsos secundum genera febrium saepius contingentium.

Capitulum III. De calliditate doctorum, qui variant haec omnia et fingunt se scire pondera ponendorum in medicinis et addunt et minuunt malitiose, ne possint sciri fraudes eorum, ut scholares detineant et elongent artem et ponant difficultatem in facili et ut aliquid facere videantur.

Capitulum IV. Si habet aliquis artem <pondera> ponendorum in medicina determinare, et qua arte et industria sit usus in hoc Andromachus et Galienus, qui fuerunt praecipui.

Capitulum V. De his, quae oportet scholares tam novos quam veteres portare, cum vadunt in practicam, et quae circa ipsam fuerint opportuna.

Capitulum VI. De digestivis et divisivis tam usualibus quam ignotis, quibus utimur in aegritudine materiali et in sanis lapsis, cum volumus purgare ad praeservationem, diversificando ipsa secundum species humorum quorumlibet. [88vb...] [...89ra]

Capitulum VII. Quo digestivo qua aegritudine sit intentum.

Capitulum VIII. Cum quo, quando et quotiens sit offerendum digestivum. [89rb]

Capitulum IX. De accidentibus, quae sequuntur ex usu digestivorum.

Capitulum X. Quando debet antecedere flebotomia purgationem vel e contrario, et quare.

Capitulum XI. Si digestio debet praecedere flebotomiam sicut et solutivum.

Capitulum XII. De regulis purgationis ventris et praeparatione purgandi per inferius.

Capitulum XIII. De regulis vomitus et praeparatione eius, qui vomitum accepturus est.

Capitulum XIV. Quo perfecte digestio cognoscatur tam in apostematibus quam in febribus aliisque aegritudinibus de humore.

<Capitulum XV. De modis purgationis.>

Capitulum XVI. In diaeta et potu purgandorum vomitu vel solutivo.

Capitulum XVII. Quotiens oporteat purgari in anno.

Capitulum XVIII. De his, qui indigent purgatione vel non et.

<Capitulum XIX.> De eligenda specie purgationis.

Capitulum XX. De circumstantiis et cautelis considerandis ante purgationem.

[Page 36]

Capitulum XXI. De cognoscendis humoribus digerendis et purgandis tam cum febre quam sine febre.

Capitulum XXII. De aquis et sirupis, qui pro potu competunt in acutis.

[89rb...] [...88vb]

INCIPIUNT CAPITULA II. LIBRI

Capitulum I. partis secundae. De errore antiquorum in solutivis.

Capitulum II. De solutivo appropriato unicuique humori naturali vel innaturali vel cum febre vel sine febre et omni generi passionis, cui competit solutivum.

Capitulum III. De dulcorationibus eorum et rebus, quae miscentur solutivis, ut facilius sumantur.

Capitulum IV. De cautela eius, qui purgatur, cum est in purgatione, scilicet in toto die primo.

Capitulum V. De subtili praeparatione eorum et repressione, ut sint sine periculo omnino.

Capitulum VI. De regulis maxime opportunis [89ra]in solutione ventris.

Capitulum VII. De his, quae retardant operationes solutivi et vomitus.

Capitulum VIII. De accidentibus et symptomatibus supervenientibus utrique, cum sunt in operatione sua, ut sicut syncopis, sitis, debilitas, vomitus et quod non potest assellare et similia.

Capitulum IX. De eorum curationibus.

Capitulum X. De cura praeservativa, ne accidant.

Capitulum XI. De transmutatione cuiuslibet solutivi in sirupum vel in aliud, et ut a quolibet facile sumi possit.

Capitulum XII. De vomitu appropriato cuilibet humori tam naturali quam innaturali et morbo, secundum quod est opportunum, cum febre vel sine febre et in omni genere aliae passionis, ubi vomica competere videntur, et prius in dominio humorum sine febre, tandem cum febre, et prius de vomitu colerae, consequenter de vomitibus aliorum humorum.

Capitulum XIII. De numero vomituum tam simplicium quam compositorum laudabilium et receptionibus ipsorum.

Capitulum XIV. De numero solutivorum tam simplicium quam compositorum contra excessum cuiuslibet humoris, quibus saepe utimur et sunt securiora.

Capitulum XV. De his, quae consentiunt vomicae purgationi vel eam fieri prohibeant.

Capitulum XVI. In solutivis febrientium acute.

[Page 38]

Capitulum XVII. De modo exhibitionis medicinarum solutivarum. [89ra...] [...89rb]

INCIPIUNT CAPITULA III. LIBRI

Capitulum I. partis tertiae. De regimine post medicinam.

Capitulum II. De his, quae oportent fieri circa balneum et opiatas.

Capitulum III. De his, quae sunt observanda circa minutionem in purgatione.

Capitulum IV. Circa diaetam purgatorum et modum resumptionis eorum.

Capitulum V. Inscientia perfectae purgationis et an aliquid remanserit de medicina in corpore vel nihil.

Capitulum VI. De accidentibus, quae contingunt post solutivum, et primum de siti, secundo de tortionibus, tertio de solutione ventris sanguinea et non sanguinea, quarto de ephimera post solutivum, quinto de putrida et curatione eius, id est ipsius, sexto de ardore viscerum et punctura interiorum, septimo de fastidio, octavo de singultu, nono de spasmo, decimo de aggravatione membrorum et impedimento motus, undecimo de tenasmone, duodecimo de syncopi et ruptura venae post vomitum.

Capitulum VII. De convalescentibus ab acutis, peracutis et interpolatis.

Capitulum VIII. De regimine purgatorum per totum annum, si volunt, quod praemissa purgatio conferat ad salutem.

Capitulum IX. De dosibus medicinarum.

Capitulum X. De conscriptione mea.

[Page 40]

CAPITULUM I. PRIMAE PARTIS. DE ORDINE MEDICANDI

In ordine medicandi causas morborum prius perfecte determinantes oportet incipere, quid prius tam circa dietam quam circa medicinam, quid posterius et quid in medio in omni morborum genere sit fiendum, et hoc per nostrae artis, sicut statim faciam, regulas invenire. Atque maxime proficit cognitio quattuor temporum morbi, sicut Galienus in libro

De crisi, Constantinus in libro Febrium et alii auctores cognoverunt. Tempora morbi medicandi in omnibus sunt diversa. Verbi gratia aliter est medicandum in principiis febrium de humore et aliter in principiis apostematum, quia hic multum apponimus repercussiva, in febribus vero numquam. Item nec in omnibus principiis febrium medicamur uno modo, immo in quibusdam purgamus a principio propter malitiam aegritudinis et eius aestuositatem, quia patiens non posset statum aegritudinis exspectare, ut in causon quandoque et hemitritaeo tripertito. Nonnumquam vero purgationem differimus post digestionem ex imperfecta morbi determinatione. Unde regula est in acutis, si non sint adeo

malitiosae, ut dictum est, quod [89vb] septimum diem nec ante digestionem materiei nec in die critico est purgandum, et quanto plus remittitur acumen, plus differtur purgatio, ut in febribus quae sunt de frigido humore. Et haec regula sumpta est a natura, quia artificialia et voluntaria bene facta sequi possunt. Debent supernalia iudicari, et nos iudicamus naturam in aegritudine velocis motus et citi finis citam facere purgationem.

Est enim certificatio purgatio quaedam superfluitatum, quare nos in acuta velocis motus sicut natura, cum digestionem iudicamus, debemus accelerare purgationem, leniter tamen; et raro ante naturalem purgationem debemus dare artificialem. In prolixis plus deferimus, quia tardiva fit digestio, et exspectamus debili solutivo, quia forte confundit naturam et extrahit humiditatem corpori opportunam. Sic in aliis temporibus morbi distinguendum et in diversis, diversimode medicandum est, in omni genere morborum secundum quod illi morbo fuerit opportunum. Ego vero longitudini parcens determinabo hoc in tribus rebus tantum, quae maxime pauperibus scholaribus et medicis omnibus sunt opportuna, quia in his est fere tota difficultas et lucrum ipsorum, scilicet in febribus putridis et maxime in acutis, apostematibus et solutivis; et cum mihi tempus ex otio dabitur et secunda fortuna successerit, idem in aliis morborum generibus determinabo. Nota: ad inveniendum rectum ordinem medicandi non solum in his tribus,

[Page 42]

quae dixi, sed ubilibet, hanc praemitto regulam. In omni medicatione, antequam fiat, observandum est, quod medicina nostra opponatur omnibus innaturalibus dispositionibus corporis vel saltem pluribus vel periculosioribus secundum ordinem causarum quae aegritudinem commoverunt. Item alia regula: semper in curatione, antequam aliqua ei medicina offeratur, distinguenda est simplicitas vel compositio morbi et [90ra] identitas vel diversitas, quia diversitas morborum diversitatem exposcit curationum. Expositio utriusque regulae haecce: laboranti duplici vel simplici tertiana competenter offertur mane oxysacchara vel sirupus acetosus cum lacte seminum frigidorum, si non tussiat. Dico enim: quod opponitur causis facientibus tertianam, confert omnibus dispositionibus inductis ex tertiana, quia ipsa et sirupus destruit coleram eo, quod acetum est mors colerae et vita melancoliae. Unde gustus acetosi destruit omnem amaricationem oris, aufert sitim, quae contingit propter inflammationem spiritualium et nutritivorum, infrigidando et quietando sanguinis ebullitionem, prohibet ascensum colerae ad caput eadem ratione et ventris solvit constipationem, quae erat propter inflammationem facta et desiccationem. Licet non semper faciat hoc, tamen hoc intendit. In quocumque ergo morborum genere istae dispositiones vel consimiles inveniuntur, suo loco et tempore hoc medicamen vel ei simile in virtute offerendum est, si nihil sit quod prohibeat a latere. Idem dico in quolibet genere medicationis et cibi, quod, ubi communicant aegritudines, vel in causis, vel in accidentibus communicant; quo addo et curationes et <medicationes> cibi. Et ideo auctores non multum distinxerunt in acutis hinc inde, an oxysacchara, sirupus acetosus, sirupus de radicibus et herbis frigidis vel gillani vel violatus pro digestivo esset offerendus, sed magis virtuosum elegerunt magis. Si tamen unus non invenitur, competenter offertur alter. Idem de cibis et potibus acutorum. Communiter enim cum pauca distinctione dederunt in potu typsimum de coctione prunorum, seminum frigidorum, capillorum Veneris, linguae cervinae et similia. Doctores tamen, ut occultent se et sua vobis, mutant quadrata rotundis, ut aliquid facere videantur. Vos autem nolite curare, quia procul dubio [90rb] nil aliud sciunt, et quidquid variant, secundum arbitrium faciunt et ad hoc redibunt, si recte operantur. In cibo enim dederunt far, amygdum et similia, sicut deorsum dicam. Semper vel saltem pluribus nocuentis opposita debet <esse> medicina, ut cuminum in colica, quod extenuat ventositatem, etsi non solvat ventrem, vel periculosioribus, ut balneum in calculo et iliaca et colica, quod sedat dolorem et movet ventrem, licet constipet ventrem.

[Page 44]

Semper tamen debes videre, quod iuvamentum sit maius nocumento, cum una medicina ex parte iuvat et ex parte nocet.

Sequitur de ordine causarum aegritudinum, quae aegritudinem commoverunt. Debetis enim prius remove causam primitivam, inde antecedentem, ultimo coniunctam, et sic semper a prioribus natura prius debemus incipere cum ratione. Cogimur tamen quandoque incohare curam nostram a posterioribus natura, ut ab accidentibus vel alio utilium in ordine curationis propter inordinationem aegritudinis et malitiam eius, ut in colica a mitigantibus dolorem, in squinantia, anthrace et febribus peracutis et

similibus, ubi expedit, a flebotomia et purgatione et hoc inordinate, purgando prius vel flebotomando, quodcumque occurrerit, quia in inordinata aegritudine et subita inordinata oportet uti curatione. Et ideo quidam auctores in talibus ponunt prius flebotomiam, quidam purgationem, quidam cristere. Et dico, quod non multum refert nisi apud illos, qui celant artem; utile enim est operari cum distinctione. Sequitur secunda regula: distinguenda est simplicitas et compositio morbi, quia saepe duo vel plures morbi eiusdem naturae et considerationis simul curari possunt, ut duae tertianae, duae pleureses, calculus renum et vesicae simul. Si vero sint diversarum naturarum, ut febris et epilepsia, diversis temporibus et diversis medicaminibus sunt curandi, ut ab eo incohandum est in curatione, in quo una harum trium proprietatum existit: verbi gratia, hydropisis non sanatur, nisi rectificetur complexio epatis, et ulcus, quod sequitur apostema, non sanatur nisi prius curetur malitia complexionis, quae necessario est cum apostemate. Quare horum curam intendemus prius. Similiter nec ethica ptisicorum, nisi prius vulnus <pulmonis> sanetur. Secunda proprietas sive modus est, cum una aegritudo fuerit causa alterius, ut opilatio et febris, bubones et ephimera. Medicabimur enim prius opilationes, et postea sanitis bubonibus ephimera terminabitur. Tertia est, cum una earum fuerit periculosior et de qua maior sollicitudo existit, ut synochus et paralysis.

Medicabimur enim synochum extinguendo calorem et flebotomando, et de paralysis non curabimus.

[Page 46]

CAPITULUM II. SIRUPUS

Scias, quod sirupi diversificantur quinque modis. Horum enim quidam sunt solutivi, quidam stipidi, quidam digestivi sive divisivi, quidam alterantes sine divisione, quidam resumptivi vel enutrientes. De his omnibus suo loco dicitur. Sed hic de digerentibus maxime dicemus, qui corrigunt inaequalitates humorum, in fine vero particulae de alterantibus dyacrasiam et qui potu in febris et aegritudinibus aliis offeruntur, licet inter se differre modicum videantur. Horum siruporum alii fiunt de sucis et vocantur diaquilon a kalon, quod est sucus. Alii vero de aceto et vocantur acetosi. Alii de decoctione seminum et herbarum. Et sirupi simpliciter vocantur, qui, cum vehementer coquantur a calore solis vel ab igne, ut inspissentur et portari possint, arabice vocantur [90vb] robur; inde rob nucum, id est de suco corticis nucum

inspissato, rob fructuum et similia. Sirupus, quo utendum est indifferenter in omnibus acutis et peracutis, ut causon, tripertito hemitritaeo, duplici et simplici tertiana, cottidiana de salso et breviter omnibus continuis, ad digerendum materiam et calorem mitigandum, valens ictericis, splenicis et epaticis de calore. Recipe ungulae caballinae, radicem violariae, ceterach, polytrichi <id est> adianthos, scolopendriae, capillorum Veneris, boraginis, epaticae, cichoreae, scariolae, corticis radicis feniculi vel petroselini, brusci, sparagi: omnium sive quorundam ana manipulam unam, et si plus fuerit de herbis, efficacior erit; violae, nenufaris, seminum frigidorum, citrulli sive melonis, cucurbitae, cucumeris, ordeï mundati, scariolae, portulacae, lactucae, malvae ana unciam unam; sandalorum rubeorum, berberis ana unciam semis; papaveris albi uncias duas; spodii <id est> limaturae eboris drachmas duas. Conficitur sic: quassa universa praeter flores, et sic propone aquam simplicem vel, quod longe melius est, aquam cucumeris vel cucurbitae involutae pasta vel argilla et coctae in furno vel sub cineribus, cuius medulla bene cum manibus comprimatur, ex qua totum cooperiri possit. Coque ad lentum ignem, donec herbae virorem deponant et descendere videantur, quod est signum completae decoctionis. Ultimo flores appone, cola et adde zuccarum ad libitum, vel pro duabus libris aquae vel tribus libram unam zuccari ponere debes, sed zuccarum malaxa prius; et cum spumam totam supernatare videris, cola

per stamineam vel pannum rarum, leniter exprimendo [91ra], et reduc ad ignem et coque, donec se teneat in spatula et filum faciat vel super ignem positus non discurrat; et hoc, si volueris diu servare; si vero parum

[Page 48]

non oportet tantum coquere. Sed tamen contra idiotas scias, quod oportet sirupum et alia, quae coquenda sunt, moderate coqui, ut virtus ignis misceat virtutes medicinarum et sic veniat ad naturam mediam, quae est forma mixti; alioquin non valebit medicina. Et hic est causa, quare non valet theriaca in novitate sua nec fere aliqua medicina, quia nondum propter brevitatem temporis sunt permixtae virtutes medicinarum; unde etiam se resipibiliter alterantur medicinae a sapore, quem habuerunt in novitate. Vel confice aliter et melius: de herbis sucum extrahe, substantiam cum

aliis medicinis coque, colaturam postmodum suco adiunge et adde zuccarum ut prius; si volueris aliter clarificare sine ovis, cum coeperit <coqui> ad ignem, destilla per filtra, servas tenuem, sicut faciunt alchimistae, et offers bis in die, mane et aero, ante cibum, ut ait Avicenna capitulo de tissano, vel quater, vel cum ierit dormitum, cum tissano vel

aqua calida simplici. Potes etiam infra diem tradere de eodem cum calida vel si sana sunt viscera, cum calida prius et postmodum infrigidata. Multo tamen melius est, si calida fuerit, quia aqua frigida materiam in acutis congelat et inspissat. Potes etiam pro parte solutivum facere hoc modo, quod ostentetur a quinto die in antea securiter in acutis, in die non critico, hoc modo: sume de eo libram semis, antequam multum coquatur, et adde reubarbari vel reupontici electi unciam unam; vel, si fuerit sani pectoris et pauper, uncia una corticum mirobolanorum citrinorum tantundem valebit.

Da de hoc composito uncias duas vel unciam unam, [91rb] si debilis sit infirmus. Solvit enim suaviter ad unam vel duas vel tres sellas et suaviter minuit materiam sine impedimento naturae, et tenendo ventrem solutum futuram prohibet alienationem, quae nasci solet ex incurata ventris constipatione, quae nocet mirabiliter in acutis. Ne te taedeat de hoc longe quae audire prolixè, quia hic aperitur porta clausa et affectio mentis sermone manifestatur, quia sic loquor, ut levius intellegas et copiosius opereris. Et quod hic dicitur, fere in omnibus aliis diversitatibus siruporum erit ubilibet observandum. Item si nec omnia sicut dixi per ordinem habere poteris, habeas quae potes, quia necessitas non habet legem, nec multum nocet transire in talibus; sed in

theriaca, metridato et similibus variatio nimis noceret. Cara remove

pro pauperibus et appone, si potes, aliquid aequivalens, quia in vilibus saepe maior efficacia solet esse. Adde et minue secundum diversitatem

[Page 50]

temporis et morborum, quo nihil plus facit, quod maxime te peritum ostendit. Unde caute in viatico legitur capitulo de causon: minuatur et addat prudens medicus secundum quod necessarium fore credetur. In illa, ubi fuerit flegma, ut in cottidiana, continua, minori hemitritaeo et tempore hiemali addes radices apii, polypodii et similia. In causon vero,

tertiana, continua et similibus <et> tempore aestivo subtrahes brusci, sparagi et feniculi et similia. De eisdem rebus infusis in aceto et aqua potes facere sirupum acetosum diureticum valentem multo plus quam sirupus acetosus usualis in acutis, peracutis, opilatione splenis et epatis de calore, et reprimat acumen saltem flegmatis et colerae manifestae.

Sed non potest [91va] clarificari, nisi prius fiat sirupus cum aqua et postmodum addatur acetum clarum. Item deficientibus praedictis herbis potes idem facere de utraque acedula vel de sola alleluia, sucus cuius

sirupatus aequivalet oxysaccharae. Sirupus alius ad idem, ubi deficiunt herbae omnino, ut Venetiis et multis

aliis locis: Recipe sandali utriusque, suci liquiritiae, portulacae, papaveris, berberis ana unciam unam; spodii drachmas tres; camphorae scrupulum unum; violae uncias duas. Redige species in pulverem et liga in panno et fac bullire in aqua cucurbitae vel cucumeria vel suco limonum, et addito zuccaro fiat sirupus. Praedicta doctrina in omnibus observanda,

puta si vis acuire et laxativum facere. Potes etiam sirupum ex aqua et zuccaro, et post clarificationem sacculum cum speciebus coquatur in sirupo; suspensae miserunt clarum: sic plus virtutis habebit. Isti tales vocantur sirupi de herbis frigidis, et cum recipiunt radices calidas et diureticas, sirupi de radicibus. Regula generalis in faciendis sirupis

de qualibet medicina ad easdem aegritudines, ad quas valet illa medicina: respice confectiones illius medicinae, de qua vis sirupum facere, in antidotario vel libro aliquo, dispensa species ibi positas et secundum praedictam doctrinam fac sirupum. Verbi gratia, vis facere sirupum resumptivum et ethico vel tipsico: respice Diapapaver Constantini, quod

est in capitulo de tussi, vel electuarium ad restaurationem, et de speciebus ibi positis fac sirupum, nisi quid ibi nocitivum esse videatur. Idem serva in omnibus aliis medicinis. Sunt et duo alii in celebri usu, quibus utimur in eisdem causis, si non adsit tussis et strictura pectoris, scilicet sirupus acetosus et oxysacchara, quos Maurus in usu habens maxime laudavit per evidentem efficaciam, quam in eis invenit in reprimendo coleram et acutos humores, quia acetum est mora colerae, ut dixit Ypocras et Ysaac, et vita melancoliae

[Page 52]

et nocet omnibus infrigidatis. Sed differunt, quia acetosus fit de aceto vini vel citri vel limonum et citranguli et plus infrigidat partes remotas de natura aceti vini, cuius est a remota transire; oxysacchara vero fit de vino granatorum hoc modo: recipe vini malorum granatorum libram unam, zuccari candidi libram unam, coque, ut prius docui, non apponendo albumina ovorum, quia non debet clarificari. Quidam ponunt octo uncias vini granatorum et quattuor uncias aceti vini, sed mihi non placet. Sirupus acetosus simplex sic fieri debet, et qui aliter facit, peccat: sume zuccari libras tres, tere et superpone tantum aquae, quod cooperiatur, et additis albuminibus ovorum movendo manu, igitur superpone et clarifica sicut prius et pluries, sicut oportet. Tandem adde aceti clari albi, quod magis valet forte accedens, donec in gustu satis caldus videatur, et coque, donec spissus sit. Quidam faciunt ipsum de solo aceto et male. Taliter enim eum conficit Avicenna, et est in experientia summus. Si vis facere durum, coque tamdiu movendo semper ad lentum ignem, donec gutta super marmora posita induretur. Quidam, dum satis coctus est, apponunt zuccarum candidum in mortario diu movendo, donec satis spissus sit, et apponuntur scrupula duo vel unum camphorae, dantes de mane cum calida, in meridie cum frigida, ad alterandum. Sed primus modus plus valet.

CAPITULUM III. <DE CALLIDITATE MEDICORUM>

Doctores quidam, quos livor intus habuerit, et ad tegumentum propriae ignorantiae nunc ponunt [92ra] spodium, ubi alius posuit rasuram eboris, nunc parum, ubi alius multum, nunc tria medicamina frigida vel calida, ubi alius sex vel quattuor anteposuit, ut sic variando artem incomprehensibilem reddant; nam quo teneam nodo, mutarem Protea secundum debite; terminum tu videris quantitatis nullius elementi. Hi dicunt se vidisse in Parnaso, quot librae sint ignis in equo et asino et quantum aquae latitet in lactuca, quos Avicenna in libro quinto Canonis vituperabiliter reprehendit. Nam nihil potest in medicinis poni nec corporibus adhiberi, nisi quandoque hoc casu contingat, quia, quod mihi multum, tibi parum, et quod istum sufficienter infrigidabit vel calefaciet, illum minime. Cessent ergo tales mentiri <et> confundere pauperes, qui non possunt semper stare in medicina, et confiteantur in populo veritatem, quia qui

[Page 54]

vires medicinarum, plantarum et animalium, <deliberans> debito uteris arbitrio, noveris sicut primi diversitates ponendorum in

medicinis, secundum quod in utraque causa requiri poterit, perfectius et subtilius indagare.

CAPITULUM IV <SI HABET ALIQUIS ARTEM PONDERA PONENDORUM IN MEDICINA DETERMINARE>

Scias, quod nemo habuit artem ponendorum in medicinis secundum determinatum quantitatis modum, quia impossibile est perfectione immetiri

excessum qualitatum complurimarum, quia, ut prius dictum est, nec modum scimus determinatum de quattuor elementorum immixtis, et ideo scientia graduum coniecturalis est et imperfecta. Argumentum huius, quia Constantinus ponit apium calidum et siccum in tertio gradu, Avicenna vero in primo gradu calidum esse dicit. Quidam ponunt malvam calidam et humidam, et quidam frigidam et siccam. Circa haec talia inter auctores multa diversitas invenitur, quod non contingeret, si debitam de his certitudinem habere possent. Alkindus vero in suo libro graduum non processit nisi per hypothesim dicens, [92rb]si simplicia erunt calida vel frigida, sicca vel humida in tali gradu, tunc

productum sive compositum erit calidum in tali. Insuper proprietates medicinarum, secundum quas sunt nobiles et excellentes operationes, sunt ignotae pro magna parte. Galienus tamen et Andromachus, qui fuerunt potissimi in compositione medicinarum, per multam considerationem et experientiam cognoscentes vires confusorum, congelatorum, animalium et plantarum, processerunt secundum bonum arbitrium et existimationem propinquam veritati, a qua non est recedendum nisi ex causa necessaria, quia praesumitur propter maius studium et experientiam

nobis potuisse melius arbitrari. Quilibet tamen peritus et exercitatus in arte utens industria eorum hoc idem facere poterit sine reprehensione, quae talis est. Volentes enim comprehendere medicinam propter aliquam istarum causarum:

aut ut medicina esast magis efficax, aut propter compositionem aegritudinum et contrarietatem curationis

morbi, aut <ut> reprimeretur malitia medicinae,

aut ut medicina melius conservaretur,

aut ut horribilitas saporis auferatur,

[Page 56]

aut ut medicina alteri sociata vadat ad locum, ad quem sola ire non posset, aut ut prohibeatur corruptio medicinae a virtute digestiva et calore innato nostrorum corporum, antequam compleat suam operationem: miscuerunt diversa diversimode, ponentes de quibusdam multum, de quibus<dam> parum et de quibusdam mediocriter. Et <habeas> causas, quas determinavit [92va] Avicenna in primo libro Canonis, Stephanon in Antidotario Pantegni, sed melius Andromachus in libro De theriaca et Aunaim, sicut in his distinctionibus apparet. Andromachi causae, quare de aliqua medicina simplici in composito quantitas multa: aut quoniam virtus medicinae est debilis, aut quoniam membrum, quod medicatur ea, laesum longinquum a viis, per quas transit medicina, aut quoniam iuvamentum eius appropriatum illi aegritudini et membro laeso, aut quoniam multorum iuvamentorum, aut quoniam est cum medicinis destruentibus virtutem eius, aut quia pauca recipiuntur ibi sibi similia in virtute. Causae, quare ponatur quantitas parva: aut quoniam medicina est fortis virtutis et vehementis operationis, aut propter parvitatem iuvamentorum eius, aut quoniam membrum, quod indiget ea, est propinquum, aut quoniam iuvamentum eius invenitur in multis aliis, aut quoniam iuvamentum eius non est appropriatum illi aegritudini <et> membro laeso, aut quoniam aggregatur cum eo, quod est de iuvamento, aliquid nocimenti, aut quoniam iuvamenta eius sunt multa.

CAPITULUM V. GENERA SCHOLARUM

Scholae duo sunt genera, una divitum et altera pauperum, de qua dicam prius quaedam communia utrique et quaedam propria. [92vb] Communia sunt ista: quicumque praticari disponit de novo, socium debet eligere competentem, qui manum posuerit in operatione, qui diu studuerit vel et bene profecerit sub <magistro> famoso et in loco famoso so, quia illic etiam diversa occurrere consueverunt et magis miranda et ignota. Oportet enim hominem instrui ab instructo, quare eleganter dictum est:

[Page 58]

Disce, sed a doctis; indoctos ipse doceto.

Consideret mores suos et sui corporis dispositionem, ut ad loca apta se jtransferat. Qualis enim quis est, libenter cum talibus conversatur. Si fuerit spleneticus vel homo, qui ex qualibet occasione de facili permutetur, non vadat Ariminum vel Ravennam vel in Sardineam, quia crescente passione de natura loci moriuntur, vel qui aliis debebat medicari, medico indigebit, et proprium mutabit in alienum: quid habebit, perdet et aliud non acquiret. Consideret aegritudines abundantes in loco illo, quia sicut quaelibet terra proprias habet maneries, etiam sic et proprias habet species passionum, ut contra praedicta incommoda proprias habeat medicinas et circa illa maxime sit attentus. Cum vero terram intraverit, diligenter inquirat a populo de viro, quem fama reddiderit honestatis meliorem. Illi te committe et eius consilio regaris, quia ex eo tibi auctoritatem maximam comparabis, quia

praesumitur sapiens et honestus, qui libenter cum honestis et sapientibus conversatur. Omnes ad te venientes admitte et pauperes non excludas, ut omnem ad te venientem cum denariis paucis vel multis non eicias foras. Melius est enim aliquid habere quam nihil, quia multitudo naturaliter

inceptit [93ra] ab uno. Deum time, orthodoxis consentias, vitia aliorum, maxime sacerdotum et eorum, qui maiores sunt in vico, in principio, antequam radicans sis in vico, non reprehendas, quia excludent te a conversatione fidelium. Susceptos tuos visita, de eorum <cura> assidue cogita super libros; castitatem ama; fuge multiloquium et ebrietatem,

contentionem et stultorum conversatione; iudica cum multa cautela, quia iudicium difficile; secretum tibi commissum conserva; ne te credas omni spirituali; infirmos numquam asperere disponas; confessionem iniungas in exitu, si videtur graviter laborare, ne facias contra decretalem, per aliquem de suis, quod cautius fiet accepto pignore. Et si quaesierint a

te, ut solet fieri, in exitu: Quid vobis videtur? Noli statim dicere: Bene, liberabitur, ne forsitan moriatur, et sic vituperarent te per totam terram et dicerent te nihil scire. Nec primum infirmum, quem acceperis in introitu

villae, accipias moriturum vel nimis graviter laborantem, quia, si non sanaretur, turpiter et damnose concluderent sicut prius, sed remissius responde sicut: Graviter se habet; bene tamen speramus per misericordiam Jesu Christi, nisi aliquod novum emergat, quod cogat nos emutare sententiam, quod adeo

[Page 60]

diligenter adhibemus curationem, quod restituere <possimus> pristinae sanitati. Sis mundus corpore; omnibus urceolariis servitium promitte et sta cum eis; non sis nimis pomposus nec omnino pannosus; a mentis habitudine non discordes; in magnis periculis te exhibe cum fortuna, ubi vel totum perdas vel totum acquiras, nec accipias fideiussorem vel bestiam, quae loquatur, sed pignus non trahat te in iudicium, quia non est bonum contendere in patria [93rb] aliena. Fac bonum forum, in principio parum recedens a consuetudine medicorum; conserva hoc. Exemplum enim do vobis, ut sicut ita et vos faciatis. Item etsi diversas ferre debeas medicinas, illas tamen, quae circa frequentiores morbos sive in viris sive in mulieribus locum habent, potius ferre debes. Frequentiores aegritudines sunt istae: febres, apostemata,

scabies, solutio ventris, tussis, catarrhus et guttae, excessus humorum sine febre; in mulieribus vero retentio menstruorum et fluxus, suffocatio matricis, impedimentum generationis, frigiditas matricis et similia, quia

passiones mulierum omnes a matrice locum habent. Pauperes scholares siquidem has leves in pretio et efficaces in opere portabunt medicinas: mirobolanos citrinos, reuponticum, scammoniam, cassiam, reubarbarum, monepteis.

De compositis: electuarium de suco rosarum, <electuarium> frigidum Cophonis, oxy, katharticum imperiale sex uncias cum duabus unciis vel una sirupi violati vel zuccarae apposita aqua et abiecta substantia per colaturam.

De simplicibus: violae, pruna, semina frigida, manna, tamarindi, cassia fistula, serum lactis caprarum, iuiubae, sebesten.

Idem in plantis: violaria, herbae frigidae usuales, cerasa corvina, borago id est lingua bovina, umbilicus Veneris.

De compositis: zuccara violata, trifera saracenica, diaceraseos simplex, zuccarum frigidum de floribus boraginis ad modum zuccari rosati. Idem in plantis: lignum quoddam, quod vocatur [93va] avornus, cuius rasura purgat coleram cum impetu; cortex radicis genestae coctus debiliter; semen eius impetuose et cum vomitu <purgat>; grana cataputiae mundata, centaurea minor, absinthium, fumus terrae, mercurialis et totum, quod est in malo granato, antequam perfecte maturetur, in pondere sex unciarum; mirobolani kebuli, turbit, aloes citrinum, colocynthida, agaricus. Idem in plantis: polypodium, sed magis dolorem ventris facit, nisi multa semina apponantur extenuantia ventositatem; aliter securiter purgat elleborus impetuose cum vomitu; sucus ebuli et sambuci suaviter et cum vomitu et secessu; esula impetuose ventrem movet; titimallus et laureola similiter.

[Page 62]

De compositis sine febre: benedicta, paulinum sine opio, picra, hiera picra, pillulae aureae, pillulae arteticae, pillulae de quinque generibus <pillulae> sine quibus esse nolo, sene, mirobolani indi, ferrugo id est limatura ferri, euforbium, elacterium. Idem in plantis: squilla et suum acetum mirabiliter per vomitum et per secessum purgat; similiter elleborus niger, centaurea maior, camedreos et camepitheos. De compositis sine febre: diasene, theodoriton anacardinum, trifera

saracenica, hiera logodion, et praedictae pillulae, sed praecipue meae, quas feci ad memoriam. [93vb] De vomitibus et solutivis cuiusque humoris cum febre proprii capitulis invenietis. Hic autem et ibi diversa posui et ponam, ut uno deficiente reliquum subfragetur, et pauper de iis eligat, quae placent magis. Nam omnia hic et in toto libro posita, audacter dico, certa sunt, nec, si sane intellexeris, hic aliquid invenies reprehensione dignum. De opiatibus portabis contra tussim vigiliarum: requiem; <contra> febres et omnes causas calidas: rubeam, requiem; contra frigidas: diaolibanum,

musam eneam et auream alexandrinam, pillulas cinogloticas, quae sunt efficacis operationis in utraque causa prostringendo

sanguinem in haemoptoicis et menstruatis; athanasiam pro passionibus mulierum; triferam magnam cum opio et sine opio ad provocandum menstrua et secundinam eiciendam et ad generationem, antidotum emagogum et

theodoriton euporiston. De confortantibus et calefacientibus: dianthos, diacalamentum, cingiber conditum et diacitoniten. De infrigidantibus et confortantibus in febribus acutis: zuccarum rosatum, violatum, triasandali, diarrhodon abbatis et rosata novella. De digestivis: in calida, triferam saracenicam et oxysaccharam, quae nunc ubique fieri potest; in frigida, oxymel squilliticum. De oleis: oleum laurinum in frigida, oleum rosatum et violatum et mandragoratum.

De unguentis: populeon in calida; contra scabiem: unguentum album; ad flegma salsum: fuscum.

De vomitibus: vomitus Nicolai.

Contra guttas frigidas et membrorum infrigidationes et indignationes nervorum: agrippa, marciaton, unguentum aureum et arrogon et dialteam. De pillulis simplicibus: pillulas aureas, pillulas de quinque generibus, pillulas ante cibum, arabicas vel istas, quae primis fere omnibus aequivalent et sunt pauperum et stincados et securae [94ra] in purgando principaliter flegma, secundario coleram, et sint vobis ante cibum et

[Page 64]

post cibum, quia tantum valent, et conficiantur duobus modis. Primo sic: recipe aloes citrini vel epatici unciam unam, tere et confice cum suco caulium et da duas <pillulas> ad modum fabae vel quinque vel septem sicut cicer, sic non debilitando. Stomachum suavissime purgant ad sellam unam vel duas. Vel aliter et fortius: recipe aloes unciam unam, sammoniae coctae unciam semis, anisi, apii ana drachmam unam, masticem drachmam unam; confice cum suco caulium et absinthii et fac ut prius. Divites vero, si pro superbia vel rerum copia haec sola portare nolint, sumant Antidotarium et librum De simplici medicina et, si volunt, quidquid ibi viderint, totum portent. Illa nomina diversitatum medicinarum in mea conscriptione in fine <tertii> libri ad memoriam facile perfecte notata poterunt inveniri.

<CAPITULUM VI.> DE DIGESTIVIS ET DIVISIVIS ET CETERA

Cum contingat materiam peccare proprie secundum digestionem quattuor modis, ut deorsum in capitulo de signis digestionis et indigestionis liquebit. Si <sit> materia indigesta secundum spissitudinem sive grossitiem sine

viscositate et cum frigiditate, ut saepe contingit, sicut in laborantibus vitio splenis et quartana de melancolia naturali, digerenda est materia cum calefacientibus et subtiliantibus, utpote cum cibus calidis et electuariis, ut cingibere condito, diacalamento, diatriton pipereon, diagalanga, diacimino, diaspermaton, speciebus aromaticis similem virtutem

habentibus, oxymelle diuretico et de squilla cum apozematibus diureticis, vino albo et subtili, pillulis de paulino post principium digestionis, quia manifeste digerit materiam et paulatim evacuat, et similibus. Regula enim est generalis, quod quaecumque habent alterare qualitatem [94rb] materiei, qua resistebat exitui, sive sint potus sive pulveres,

cibi, unguenta vel balnea et quaecumque talia, aliis conditionibus non prohibentibus a latere, digestiva sunt. Antiqui tamen sirupis et aquis in digerendo potius utebantur, quia per membra facilius transire possunt. Si vero materia sit secundum spissitudinem indigesta cum viscositate et frigiditate ut flegma vitreum, eisdem utendum, sed magis incisivis.

Si vero secundum liquiditatem, ut in tussibus et coryza <id est> catarrho saepius accidit et omnibus fere passionibus de rheumate natis, et glutinosis et moderate inspissantibus utendum, ut decoctione liquiritiae, ficuum siccarum, hysopi cum paucis melle, thure, mastice, laudano,

[Page 66]

vernice et similibus maturantibus: unde calidas et humiditas has, de quocumque sint genere, sanas maxime passionibus, et potissime liquiritia et thus quocumque modo sumpta. Si vero peccet materia furore sive acredine, ut colera naturalis, flegma salsum, colera prasina <et> eruginosa et humores qui aduruntur, digerenda erit materia cum sirupis et medicinis incidentibus, ut sirupo acetoso vel aceto mixto cum ptisano vel aqua calida in paupere, oxysacchara, vino granatorum, sirupo violato, sirupo frigido vel nobili triferam saracenicam. Balneum quoque dulcis aquae ad digerendum coleram sine febre et epatis calefactione plurimum valet. In iis autem et similibus balneum facere non audemus ante perfectam corporis mundificationem. Valent quasi et ista electuaria: triasandali, rosata novella, zuccarum violatum et similia. Et generaliter dicendum est, quod digestiva sanguinis et colerae usualiter sunt dicti sirupi et electuaria. Flegmatis vero digestiva: [94va] oxymel simplex de radicibus, claretum usuale vel aliud bonum, picra et benedicta. Simplicia digestiva melancoliae: oxymel de radicibus, squilliticum, diasene simpliciter, pliris, nobile claretum et quaecumque in principio

superius dicta sunt. Regula: ubi communicant causae digestionis, communicari debent et iungi causae facientes digestionem. Verbi gratia, colera vitellina et citrina ex parte flegmatis grossitiem habet cum frigiditate et ex parte colerae furorem et ex utrisque simul mixtis viscositatem, quia scilicet cum humido mixtum viscosum reddit aridum humorem, quare tertiana de his humoribus sicut quartana longissima esse solet. Erit ergo utendum in digerendo partim calefacientibus moderate, ut oxymelle

simplici, et partim in frigidantibus, ut sirupo acetoso vel oxysacchara. Undecumque hac vel simili mixtura facienda est digestio in quocumque tali, nisi forsitan tempus calidum contradicat.

<CAPITULUM VII.> IN INTERPOLATIS QUO DIGESTIVO DEBEMUS UTI

In febribus acutis utendum sirupis iam determinatis et praeter hos sirupo violato vel nenufarino, qui de floribus nenufaris, ad modum sirupi violati, <sirupo> gileni, rob fructuum et similibus. In interpolatis autem distinguendum, de quo humore vel humoribus contingant. Utere digestivis ad humorem omnem et humoris peccatum

[Page 68]

determinatum. Regula: in interpolatis calidis vel in frigidis, si multa convenerint ad acumen, ut caliditas temporis, complexionis, aetatis et similia, utendum regimine acutorum, in quantum est interpolata vel de frigido facta. Item nota: in omni digestivo sicut in solutivis distinguenda species passionis, locus et dispositiones, quae morbum antecedunt vel consequuntur. Verbi gratia, iste laborat cottidiana de salso, materia in pectore [94vb] existente. Non dabo xysaccharam, maxime si post tussim vel ante habuerit, quia acetosa nocent pectori et qui tussim habet, sed sirupum acetosum, in quo sunt aliqua, quae opponuntur naturae intrinsecae sine manifesto eius, ut herbae frigidae, et offeram cum tisano et lacte seminum frigidorum, quia in causis calidis ista solent proprie pectori subvenire; idem ubique attendendum.

<CAPITULUM VIII.CUM, QUO, QUANDO ET QUOTIENS SIT OFFERENDUM DIGESTIVUM >

Non est dubium, quin digestivum in acutis et interpolatis sit cum aquis diureticis ad eandem valentibus passionem vel simplici calida propinandum et in sanis lapsis, quia ab excessu calidorum proprie sunt purgandi. In frigidis vero causis similiter vel, quod melius est, cum vino et aqua; verbi gratia in vitio splenis et quartana de melancholia naturali et similibus, quia iam determinavit Galienus in libro De simplici medicina, quia aqua pura vel vinum solum non sic sedant sitim ut vinum mixtum, quod virtute subtilitatis et profundationis suae aquam frigidam et humidam facit ad interiora venire, quae, calorem et siccitatem membrorum profunditus remittendo, sitim sedat, quae est exuriens frigidum et humidum, ut in libro De anima determinatum est hac eadem ratione. Venenum, ut ait Avicenna, cum vino dato citius occidit, et theriaca occidit citius cum eodem; et est offerendum digestivum mane et sero, sic bis in die, stomacho existente vacuo a cibis, vel quasi ne actio digestivi per cibum impediatur, sicut dicit Avicenna in quinto libro Canonis capitulo de aqua ordeï.

[Page 70]

<CAPITULUM IX.> DE ACCIDENTIBUS , QUAE SEQUUNTUR EX USU DIGESTIVORUM

Accidentia, quae sequuntur ex usu digestivorum, in diversis diversa: cum in quibus arenulae in urina et ardor in urinando, fluxus humorum ad iuncturas, unde usus digestivorum in pluribus commovet arthriticam, dolorem capitis et somnia diversa propter dissolutionera materiae, quae ad partes capitis levigatur, et in dispositis [95ra] propter eandem causam movet maniam et melancholiam <et> aggravationem membrorum; propter eandem causam et eorum, qui materiam digerunt et non purgant, casus in putrida esse solet.

<CAPITULUM X. QUANDO DEBET ANTECEDERE FLEBOTOMIA PURGATIONEM VEL E CONTRARIO, ET QUA RE>

Scias, quod duplex est repletio corporis: una universalis, quae debetur toti, altera particularis, quae debetur parti uni vel pluribus sed non toti. In universali: venarum repletionem et arteriarum concavitates replentur et aliorum membrorum concavitates extra venas vel vacuitas stomachi, matricis et intestinorum, pectoris, pulmonis et similia. Et repletio vasorum eo, quod fluxus et superfluitates fetat ad principalia et non principalia, periculosior est repletionem, quae est extra, et prior aegritudinum commotiva, id est febrium continuarum, pleuresis et periplemoniae, squinantiae, apostematis splenis et epatis et similia, quare per regulam primi <capituli> prius solvenda est. Adurgentioris enim et periculosioris causae obstaculatum prius medicina subfragabitur posita. Praeterea repletio, quae est extra, originem habuit a venis, cum per calorem et virtutem cordis humorum generatio sit in venis, quare prior prius solvenda, et in hoc casu praecedere debet flebotomia purgationem. Hac eadem consideratione minui in interpolatis, nisi circumstantiae

contradicant, quia praesumitur de humore faciente interpolatam causam, <qui> principium habuerit a vena, in venis aliquid remansisse, et non solum timeamus ex conculcatione putrefactionem futuram in venis. Cum vero repletio principaliter est extra, exeunte, quod intus erat, omnino intus extra, vel quasi praecedat purgatio flebotomiam, et nota: post purgationem de forma bonae operationis erit, ut [95rb] <flebotomia> sequatur. Post balneum et opiatae exhibitionem non convenit flebotomia, licet in omnibus ut in extenuatis, pueris, senibus, debilibus et qui

[Page 72]

parum ante minuti erant et quorum venae complexae sunt et sanguinis parum habent.

<CAPITULUM XI.> DE NOCUMENTO FLEBOTOMIAE QUANDO FIT ANTE DIGESTIONEM

Cum sanguis easdem recipiat inaequalitates, quas et alii humores, quare resistit exitui, sicut alii digerendus est, et sine

laesione, nec facilius expellatur, et hoc dixit Avicenna in <quarto> libro Canonis capitulo de quartana, et pauci invenerunt istud. Haec causa, quare acceleratio flebotomiae nimis nocet, quia humor est indigestus, nisi in egritudinibus peracutis, ubi etiam propter furorem ante digestionem humorem alium non purgamus. Et quia facilius digeritur aliis humoribus propter minorem distemperantiam ab aequalitate, ideo citius purgatur per flebotomiam.

Et ideo in febribus, nisi sint peracutae, melius fit mutatio vel minutio in quarto vel in tertio die in aestate quam in primo vel in secundo. In hieme vero differendum usque ad sextum diem, et est offerendum usque ad tempos istud digestivum, quod aegritudini competere videatur. In sanis vero lapsis secundum sanguinis inaequalitatem prius per duos vel tres dies digestivum debitum offertur. Verbi gratia, si peccaverit grossitie, sicut in multis videri potest, in quibus aperta vena sanguis propter spissitudinem exire non potest, offerendus est sirupus acetosus in calida causa vel aliud simile vel oxymel de radicibus in frigida cum decoctione seminum feniculi, anisi, apii, vel pulvis horum seminum sumatur in

cibis, et decoctio potibus misceatur, quemadmodum docuit Alexander.[95va]

<CAPITULUM XII.> DE DIAETA, QUAM VOLUMUS DARE VOLENTIBUS ACCIPERE MEDICINAM

Qui purgari debet per inferius, utatur cibus et potibus solutivis et ventrem humectantibus, balneis quoque et inanitionibus ad hoc aptis, ut materia ad exitum praeparetur, et ideo mane digestiva competentia propinentur;

vitet repletionem, coitum, exercitia multa, quia prohibent futuram purgationem. Super omnia etiam considerandum, si materia sit digesta vel non, quia qui indigestam purgat, numquam,

[Page 74]

ut saepe novi, periculum evitabit. Quare digesta convenit medicari, cum digestionem cognoscetis, sicut deorsum proprio capitulo determinatur. Item regula: non datur medicina super ventrem constipatum, quia nonpotens exire multos suffocati non detur nova nec medicina, <quae> multiplicet diversitates diversa in se vehementia recipiens solutiva, quia una de illis prius ventrem solvit quam secunda, et una quaerit exire, antequam altera operetur, una movet humorem ad partem unam et reliqua ad partem aliam, quare sequitur dolor cum tortione vehementi, et haec est ratio, quare reubarbarum et mirobolani male miscentur scammoniae. Item considerandum, an humor sit multus vel paucus, calidus vel frigidus, naturalis vel innaturalis, et quo in loco sit, ut nomine loci non solum unam de quattuor regionibus intellegas, verum etiam membrum, in quo principaliter materia continetur. Verbi gratia, sit humor inferens in capite passionem et in auribus: purgantia humorem ista debent esse lenia, respicientia caput et aures. Alia est enim medicina aurium passionum et alia oculorum, licet utraque istarum passionum sit in capite. Et si humor multus fuerit, quod determinant exuberantia purgationum et multitudo superfluitatum, aggravatio membrorum, [95vb] in quibus materia continebatur, et manifestum impedimentum operationum, prius quidem offerendum fortius solutivum, si virtus corporis poterit tolerare, quae potissime considerata in omni purgatione. Si vero parum fuerit de humore, et parum et debilius offerendum est solutivum <contra> calidum et frigidum, naturale et innaturale. Si sit humor, determinare debemus, ne uno <solutivo> loco alterius purgando corpori periculum adferatur. Insuper leniori et frigido medicamine purgamus materiam calidam, quia facilius oboedit moribus medicinae, frigidam vero e contrario, unde aegritudines calidae finiuntur tempore brevi, frigidae vero de consuetudine longae fiunt. Item <considerandum>, si de facili vel difficulter solvitur per medicinam, ne, si forte ei, qui de facili solvitur, de medicina multum offeratur, periculum mortis incurrat; vel si ei, qui difficulter solvitur, parum adhibeamus, non solvetur, sed in ridiculum venientes cogemur etiam periculo iterato tribuere solutivum. Quod antiqui vitare volentes ante solemnem purgationem per duos vel tres dies offerebant aliquod solutivum, ut sex pillulas de paulino vel parum electuarii de suco rosarum vel aliud tale, et si videbant, quod de facili

[Page 76]

solveretur, sequentem medicinam debilem offerebant, si difficulter, fortiorem. Item qui naturaliter habent intestina humida, quod scitur, quia semper soluti sunt et de facili solutionem ventris incurrunt, et qui viribus debiles

sunt, lenissima medicina purgantur.

<CAPITULUM XIII.> DE SUMPIONE VOMITUS

Qui vomitum sumere debet, easdem conservet regulas, quas modo dixi, sed iste debet praeparare superiorem regionem, ut gulam, pectus et similia, inungendo pectus, manducando lenientia; ille vero ventrem, qui pharmacum accepturus est. Item pharmaca debent sumi ventre exonerato a cibis et de sero, [96ra] vomitus vero de mane et post repletionem incidentium et multum potum, nisi detur nimis repleto, cut parum cibi ante est offerendum, vel nisi sit vomitus violentus, multae attractionis et resolutionis, ut elleborus, castaneola indica, cataputia et similia, post quae etiam non dormire licet, ne forsani patiens stranguletur in somno. Regula: qui vomitum accepturus <est>, ante vomitum assuescat, ut possit postmodum, cum opus fuerit, vomitum facilius tolerare.

<CAPITULUM XIV.> UTILITAS COGNOSCENDI SIGNA DIGESTIONIS

Scias, quod nullum est magis necessarium medico, si vult vitare errores, nec magis utile ad sanandum et iudicandum de tarda et cita sanatione mala vel bona morborum determinatione, quam siquidem parte digestionem cognoverit, quare est unum de

sublimibus medicinae. Dicitur enim in hac arte digestio numeris tripliciter. Uno modo digestio est actio digestivae circa nutrimentum.

Dicitur iterum digestio qualiscumque excoctio sive maturatio, sicut est in mulieribus, cum sanguis mutatur in lac et humor in sanie in apostematibus, et maturatio fructuum in arboribus, et hae sunt multum diversae inter se, sicut determinat Aristoteles in quarto Meteororum. Item digestio est alteratio nocivae qualitatis materie, qua generat virtutem

et qua est apta ad exeundum, et vocatur ab Avicenna in quarto libro Canonis medicinae adaequatio, secundum quod sic describitur ab

[Page 78]

eodem: Digestio est adaequatio substantiae materie, ut fiat praeparata ad facilem expulsionem, ut subtile inhibita extrahatur et ingrossetur, grossum subtilietur, viscosum adhaerens incidatur, furiosum mitigetur. Tunc ergo adaequabitur, quando grossum subtiliabitur ad medium, viscositas materie incidetur, subtilitas reducetur ad mediocrem grossitiem, quia si ad vehementem [96rb] duceretur, esset peccatum sicut prius, ut inquit Constantinus in capitulo de tussi, et hoc vocatur adaequatio; et nota, quod digestio non debetur multitudini in quantitate. Divisio vero fere locum habet ubique; nomine ergo digestionis absolutae abdomen digerere in stomacho vel alibi oportet intellegere; reliquae

enim inveniuntur positae cum determinatione, ut digestio humorum, digestio saniei et similia; humorem itaque digeri est, cum sit propter spissitudinem indigestus. His versiculis solet dici:

Digere materiam, causamque repelle nocivam,

Mollifica duram, compactam solve, fluentem

Inspissa, spissam liquefac, lenique furentem.

Vel humorem digeri est ipsum a nociva qualitate, ut hic large qualitas accipiatur, ad mediocritatem adduci, sive peccet secundum substantiam sive secundum qualitatem, sive secundum utrumque. Humor digestus dicitur esse, qui nec qualitate nec substantia resistit educationi, qui sine nocumento potest educi; indigestus vero, qui praesentia alicuius qualitatis vel propter substantiam sine nocumento non potest educi; viridis namque colera sine nocumento, nisi prius digereretur, non posset educi, immo inferret dysenteriam <et> tenasmon forsitan incurabilem. Flegma vero vitreum eodem modo sine nocumento, nisi digereretur, non posset educi propter nimiam viscositatem; medicina namque prius humores necessarios educeret quam illud calefacere et educere posset, et sic in reliquis. Cognoscuntur autem indigesti humores per sputum, per emunctiones, per sudorem, per urinas, per egestionem et reliquas corporis superfluitates sicut digesti, quia contraria natura sunt facti circa idem, et multis aliis modis, cautius tamen in urinis et sputis.

De modis sputi.

Sputum quidem quandoque venit a stomacho et dicitur saliva, [96va] quandoque a pulmone, et hoc casu exscreatione et tussi, aliquando per foramina palati a capite cum rascatione. Si igitur saliva fuerit inspissa,

[Page 80]

alba et globosa, flegma vitreum, si vero alba et insipida et tenuis, signum est flegma naturale indigestum abundare. Si vero fuerit salsa vel dulcis, alba, spissa vel nimis tenuis, scimus flegma salsum vel dulce indigestum superfluere. Mediocre vero in substantia non est indigestum. Si acre sit sputum, album et viscosum, acetosum est flegma et indigestum. Sed si sit lividum et spissum et difficilis exitus, quod ubique attendendum est, humor melancolicus indigestus superabundat. Si vero amarum et citrinum fuerit cum siti et faucium desiccatione et punctione

et ulceratione vicinarum partium, coleram secundum acredinem esse significat indigestam. Signa indigestionis per sputum. Per sputum etiam, quod a pulmone venit, sic cognoscemus indigestionem humorum: siquidem si sit album et insipidum, viscosum et tenui substantia, flegma naturale vel vitreum et indigestum circa pulmonem abundat. Si dulce vel salsum, album et spissum <vel nimis tenue, scimus flegma dulce vel salsum indigestum superfluere. Si acre sit sputum, album et spissum> cum viscositate, acetosum flegma et indigestum significat. Si acre et lividum cum spissitudine, melancoliam indigestam. Si amarum et citrinum cum ulceratione tracheae arteriae et canalium pulmonis, coleram propter acredinem indigestam significat. Sputum per foramina palati eductum, puta cum sentitur casu quasi aqua in gula, similiter dat cognitionem de abundantia humorum indigestorum in capite secundum liquiditatem, qui rheumatizant [96vb] ad inferiora. Per emunctiones non minus idem intellegimus. Si enim spissae et viscosae

fuerint a principio morbi, indigestos humores secundum spissitudinem abundare in capite significant. Si nimis tenues, secundum cruditatem et liquiditatem indigestos. Si vero citrinae deponantur mucilagines et ulcerantes in exitu, indigesti videntur esse humores secundum acredinem. Item quoque per alia signa, quae indigestionem significant, perpendemus

humorem. Si enim fuerit frigidus et viscosus, demonstrat humores indigestos et incurri mortem. Si tenuis et liquidus, eodem modo, sed non mortem de necessitate.

De urina.

Urina etiam citrina nobis indigestionem humorum portendit significatione. Si enim fuerit remissa et tenuis, significat indigestionem et mortem in principiis acutarum, nisi citissime permutetur, vel determinationem per apostema praesentibus bonis signis, nisi sit talis ex aliqua causa vel aliquibus, quae prohibent urinam debite in aegritudinibus disponi, puta opilatio viarum urinalium, remotio materiae a viis urinae, cruditas et compactio ipsius, debilitas caloris et virtutis materiam resolvere non

[Page 82]

potentis. Similiter, si fuerit moderata in colore et tenuis in substantia vel si fuerit rubea et tenuis et sine nube aliqua vel enaeoremate, non minus est indigesta. Urina quoque spissa, cuiuscumque coloris sit, nisi faeces resideant, <est> indigesta, melior tamen quam si tenuis fuerit, quia urinae spissae ad ultimum tenuibus sunt meliores; viridis etiam <et> nigra, quae viridem sequitur, <est> indigesta propter acredinem coloris, nisi sit in fine morbi. Vel generaliter dicamus: in omni aegritudine urina indigesta videtur esse, si sit sine sedimine vel quod [97ra] videatur parum a vero sedimine distans. Egestionem quoque, si fuerint liquidae et albae et spumosa, significant liquidos humores et indigestos abundare; si vero spissae veniant cum mucilaginibus flegmatis, demonstrant humores secundum spissitudinem

indigestos abundare; si vero pungant in exitu et mordicationem inferant, cuiuscumque sint substantiae, indigestos secundum acredinem.

Signa digestionis per sputum.

Circa easdem etiam superfluitates digestio materiae declaratur, quoniam si indigestio fuerit secundum aliquam qualitatem, per digestionem qualitas reducetur ad mediam; secundum ordinem igitur praedictarum superfluitatum

signa digestionis manifestabimus a sputo incipientes. Si enim sputum, quod educitur a stomacho, prius fuerit viscosum et insipidum, deinde a sua spoliatur viscositate et insipiditate <a to> vel in parte, signum est digestionis materiae initiatae, mediatae vel completae. Item si prius existens tenue et insipidum postea inspissetur et insipiditas remittatur, digestio materiae declaratur. Item si fuerit salsum vel acre, deinde spoliatur ab aliis qualitatibus vel secundum totum vel secundum partem, signum est digestionis materiae. Item si fuerit amarum et in exitu mordicationem intulerit et ulcerationem, deinde temperetur ab amaritudine et mordicatione et ulceratione, manifesta <est> digestionis cognitio. Similiter si sputum, quod venit a capite per rascationem, prius existens viscosum vel insipidum vel acre vel salsum¹¹, attenuetur, vel si prius existens tenue cum aliqua vehementi qualitate saporis, postea vero inspissetur cum remissione saporis prius existentis, signum est digestionis materiae. Simili modo si sputum a pulmone eductum prius fuerit

viscosum et in transitu cohaerens, insipidum vel salsum [97rb] vel acetosum, deinde attenuetur et a sapore suo spoliatur, vel saepius existens tenue et liquidum cum aliquo vehementi sapore, postea vero inspissetur et a sapore remittatur, signum est digestionis materiae. Item si amarum fuerit, pungens tracheam arteriam et lacertos gulae, deinde spoliatur ab

amaritudine et punctione et ulceratione, scimus materiam digestam.

[Page 84]

Per emunctiones similiter digestionem humorum perpendemus: si prius fuerint viscosae et postea tenues efficiantur, vel si prius tenues deinde inspissentur, vel si prius pungentes et ulcerantes faciem et nares postmodum vero temperentur, signum est digestionis materiae.

Signa digestionis per sudorem.

Eodem modo sudor: si in principio aegritudinis fuerit viscosus, deinde attenuetur, vel si prius tenuis et postea inspissetur, vel si primo insipidus aut acetosus aut salsus aut amarus postmodum ab huiusmodi spoliatur,

signum est digestionis materiae. Et nota mirabile, quod quaecumque superfluitates digestae sunt, emittuntur

suaviter et cum delectatione magna; deponit enim natura superfluitates, in quarum exitu delectatur, et quia inaequalitatem amiserunt suam, exitui non resistunt et redeunt successive ad dispositionem talem, ut sanorum superfluitatibus simulentur, sed non ante mundificationem arte vel natura factam. Quare si emundentur ante criticam determinationem vel manifestam consumptionem materiae vel exituram, facturam recidivationis vel mortis periculum expectabis. Et ideo, cum urina albescit in acutis post coloratam, sine critico iudicio praecedente raptum <humoris> insinuat ad caput, ut inde frenesis nascatur vel lethargia, vel quod <humor> ad partem aliam transferatur, vel ad minus caloris naturalis in loco generationis urinae portendit extinctionem.

[97va] Considerandum in apostematibus: scias, quod non oportet iudicare de morte, cum in urina non apparet signum digestionis. Multi liberantur per consumptionem materiei cum multa tolerantia morbi et maxime quando aegritudo non vehementis malitiae <est>. Vel convertitur materia omnino ad partem aliam, unde non disponitur urina et <fit>

clarificatio, unde crisim significat malum, sicut signa crisis emergentia ante digestionem, et ingrossatio urinae sine residentia facili et ordinata. Primo fit nubes, postea enaeorema, et ultimo ad modum sediminis stat in fundo. Mala, quae non sic residet, complementum digestionis insinuat, et ignotis moribus aegritudinis stat secundum modum unum.

Pessima autem, quae paulatim coloratur et subtiliatur, sicut debet usque ad universalem vel particularem materiei purgationem, et postea serenetur sicut urina sanorum optima. Unde falsa est illa regula antiquorum: si fuit colorata prius, debet discolorari, si spissa, attenuari; quia non est verum ante materiei purgationem, et est meum. Item urina, quae habet hypostasim regulatam, scilicet albam complexionem pineatam in

[Page 86]

fundo stantem <sed> facilem ad motum, servantem aequalitatem id est perseverantiam in tempore, completam digestionem significat; et quanto plures habuerit bonas differentias, tanto melior, quanto pauciores, minus

bona, sed fallit in nigra. Ego vero de urinis et digestionem adhuc latius exponere curo. Hic vero dixi, quantum introducendis et praesenti materiei sufficere videbatur. Insuper cognoscitur digestio communiter in morbis materialibus per illa tria, quae Ypocras incrementa, circuitum <et declinationem> appellat, scilicet per anticipationem accessionis vel postpositionem, per intensionem acuminis vel remissionem, per diurnitatem affligendi vel brevitatem. Anticipatio tribus modis [97vb] contingit:

vel de multitudine causae et eius malitia,

vel debilitate naturae infirmi aegritudini resistere non potentis – et duae causae malae –,

tertio modo ex digestionem – et hoc bonum –, quia materia digesta citius inflammatur.

Postpositio vero sive suboccupatio similiter fit tribus modis contrariis praedictis:

de fortitudine infirmi,

paucitate et absentia malitiae causae – et hoc bonum –

vel de maiori cruditate et compactione – et hoc malum

Acumen afflictionis vero est de furore, debilitate infirmi vel errore regiminis – et tunc malum – aut de fortiori inflammatione propter praeparationem – et hoc bonum.

Remissio afflictionis contrario modo se habet.

Diurnitas affligendi quandoque <fit> propter multitudinem superfluitatum putrefactarum et earum grossitiem et viscositatem, quae retardant citam digestionem, unde paroxysmus necessario elongatur, et potest hoc accidere quolibet tempore morbi et pluribus paroxysmis; quando<que> vero fit, quia natura ponit superfluitates digestas secundum maiorem partem in loco consumptionis et inflammationis in residuum; postea facilius expellantur, et hoc bonum, et non potest accidere nisi circa finem status, quia illud est tempus crisis, et uno vel duobus paroxysmis tantum, et hic tenentur medici, quia istam ignorant digestionem et aphorismum primum, qui hoc determinat sicut dixi: quaecumque febres non

deficientes in diatritis – supple pluribus – fortiores fiunt et periculosae; quaecumque vero sic defecerint, per quod intellegimus, quod crementum illud fiat vi naturae, et mala, quae fiunt, propter rationem parum durare consueverunt; <id> significat, quoniam non periculosae. Brevitas

[Page 88]

vero contrario modo se habet.

Signa digestionis per interius.

Digestionem autem in apostematibus interioribus cognoscetis hoc modo: si fuerit subrubeum sano sputo admixtum cito exiens

cum una vel duabus tussibus sine multa difficultate respirandi, signum est manifestae digestionis. Prorsus vero dealbatum et in saniem conversum signum est completae <digestionis>, [98ra] et quanto citius mutatur subrubeum in album et citius apparet et exit cum diminutione doloris, quia significatur materia de loco passionis, tanto melius, quia tanto propinquiora sunt signa digestionis, nisi de multo errore, quia signa digestionis non coniunguntur cum signis mortis omnino.

Signa digestionis in exterioribus.

In exterioribus autem sic: rubescet locus multo calore et augmentatione doloris et saltu coloratione urinae propter instantiam doloris, febris erit <et> tumor augebitur, quia circa generationem saniei dolores et febres accidunt magis quam facta sanie, et hoc est signum manifestae digestionis. Signum vero completae est mollities loci cum albedine apostematis, remissio urinae, cessatio doloris et febris; et nota, quod sicut <inter> interiora deteriora sunt lethargia, frenesis, pleuresis, periplemonia et epatis apostema, sic et inter exteriora praeter apostemata venenosa nullum deterius apostemate, quod est sub aure, quia sanitur et corrumpit nervos, musculos loci et arterias. Unde perdit hunc oculum,

sicut dicitur apud gentes, vel acerbum recurrens periculosum generat apostema.

<CAPITULUM XV.> QUOT MODIS NATURA PURGAT SUPERFLUITATES, TOT ARTE PURGARE DEBEMUS

Scias, quod quot modis natura purgat superfluitates, totidem arte purgare debemus praeterquam per apostema, et sunt septem modi: per secessum et per vomitum, sicut deorsum docebo; per flebotomiam vel per aperitionem venarum ani et matricum; de qua hic intendo; per sputum, urinam et per consumptionem materiei, quae purgatio proprie non vocatur.

Per sputum hoc modo: sume seri caprini vel lac seminum frigidorum ad libitum, et coque in eo liquiritiae, hysopi ana unciam semis, ficuum siccarum, florum roris marini, semen malvae ana drachmas quattuor, cola et adde parum [98rb] mellis vel zuccari et calidum gargariza: mundificat

[Page 90]

saniam pleuresis et periplemoniae post rupturam apostematis. Vel sume dictae decoctionis partem unam, diamoron vel moretum vel vinum quarumcumque mororum, misce simul et gargariza ut prius. Quidam addunt enuclam praedictae decoctioni vel pulegium.

Purgatio per sputum.

In frigidis vero causis post digestionem, cum per sputum purgare volueris, gargariza sinapium cum calida addito melle vel distempera oxymel cum decoctione piretri, stafisagriae, pulegii, calamenti et origani, vel eadem, scilicet piretrum et stafisagriam, masticabis, vel recipias fumum rerum dissolventium per os mediante transvatorio in os posito.

Per urinam.

Per urinam purgabis in febribus saepe lac frigidorum seminum exhibendo vel pulverem reubarbari vel reupontici cum aqua decoctionis semi num praedictorum vel cum aliquo sirupo diuretico vel unum granum viscicarum, quae vulgo mortale solatrum nominatur, vel parum pulveris leporis combusti cum totis visceribus et pelle vel acetum limonum vel

aqua sua. In frigidis causis crebro pro cibo solo cum apio crudo vel sine dabis seneciones vel sirupum nostrum vel pulverem antidoti Bestiani vel ipsum antidotum vel electuaria consueta ut iustinum, filoantropos, vel disce artem scorpionum, et nullum simile invenies, vel lapides spongiae marinae, et breviter hic valent, quaecumque contra lapidem exhibentur, ut pulvis sucini combusti et similia.

Per sudorem.

Per sudorem vero hoc modo: fiat stupa mutabilis hoc modo in febribus acutis ad accelerandum crisim, cum signa digestionis emiserint: sume malvae, violae, foliorum salicum et ubium vel aliquarum herbarum competentium aegritudini ana manipulum unum, rosarum viridium vel siccarum unciam unam, nec [98va] dicas, quod stringunt, et cum bullierint, pone in duabus situlis vel lagoenis ita, quod non impleantur nisi usque ad medium, et patiente constitute in medio lecti pone unam ex una parte et reliquam ex alia sub pannis et pone baculum in medio, qui sit aliquantulum altior; colloca, ut panni stent elevati et fumus sive vapor resolutus ab aqua liberius sub pannis transire possit, et cum sudare inceperit, sustineat parum, et si gravatur ex calore nimio, removeantur vasa et stet valde tectus, quia tunc facilius infrigidaretur. Hic enim sudor certissime provocatur, sed cave, ne corpus sit plectorium vel aegritudo rheumatica. Ad idem leve et efficax ciminum in oleo communi, et cum hoc oleo calido plantas pedum et manuum, venas pulsates ab epate et

[Page 92]

corde remotas, genua et spinam totam inungue, si calor non nimis excedere videatur, et tres lateres calidos perfusos aqua,

quam calidiores pati poterit, plantis pedum applicet et unum supra renes ponat.

De consumentibus superfluum materiam.

Consumptionem materiei facimus in multis aegritudinibus cum opiatīs, medicaminibus diaphoreticis, electuariis consumptivis aliisve medicinis et in multis locis superponendo apostolicum ut in diversis apostematibus, ut scrofulis et talibus. Visibiliter hoc minuit.

<CAPITULUM XVI.> DE DIAETA ET POTU IN ACTIS FEBRIBUS

Circa diaetam et potum acutorum regula generalis, quod in utroque cavenda est multitudo repletionis, assumptio in hora non sua, sicut cum apostematis, remissio urinae, cessatio doloris et febris; et nota, quod sicut cum est vehementia paroxysmi, nisi videatur immoderate debilitari, et quae sumuntur, actualiter calida, sed ni[98vb]mis non sint inflativa, ventosa, unctiosa, grossa, impura, convertibilia, aquosum sanguinem generantia, constipativa ventrem, nisi fuerit solutus calida sumpta primum gradum, dulcia, nisi sit pectus, et opponantur, si possibile est, tam causae antecedenti quam coniunctae, alioquin coniunctae, sed antecedentem non omnino praetermittamus. Regula specialis haec est: de cibis meliores sunt isti: far commune ordeī, speltae, simila, colatura furfuris, amygdum, olus boraginis, bletarum,

spinaciarum, acedulae, portulacae, lactucae, atriplicae, cucurbitarum viridium vel siccarum, conditum cum lacte amygdalarum recentium vel siccarum vel lacte seminum frigidorum, panis triticeus bene coctus et bene fermentatus, nebulae, fermentum resolutum in aqua, colatum et coctum et conditum cum lacte amygdalarum quemadmodum <lac>

amydi; et quia quaedam acutae, ut quae fiunt tempore frigidissimo, sunt maioris acuminis, et quae ex foetuidis humoribus natae sunt: in his expedit uti tenuissima diaeta, ut mica panis lota pluries cum aqua frigida adducto sirupo violato vel aliquo competenti, extremitatibus lactucarum crudis cum agresta vel aceto, vel portulacarum, sed raro.

Regula est enim, quod herbis crudis non licet uti in acuta nisi vehementis caloris, quia fatigant naturam in digerendo, nec fructibus, quia sanguinem aquosum reddunt, praeter pruna viridia vel sicca, cruda vel cocta, et maxime damascena, cerasia acetosa vel corvina, uvas immaturas, quia nondum acetositas in dulcedinem conversa est, uvas hiemales,

mala granata acetosa, iuiubas, novella pira et poma rata et assa,

[Page 94]

pira elixa et quoscumque alios laudatos invenies. Cucumeribus citrinis [99ra] involvendo in sirupo violato rarissime uti licet et non nisi in peracutis propter vehementiam incendii; pessimum enim sanguinem generant. Extremitates cichoreae vel endiviae elixentur et proiecta aqua bene exprimantur. Adde parum salis, quia cibi febrientium valde parum salsari

debent, acetum vel agrestam et offer cum pane ad manducandum. Est enim cibus electus, qui dyscrasiam alterat et corroborat appetitum. Regula: si contingit pueros citra quartum decimum vel undevicesimum annum continua laborare, quantum est de natura morbi, simili regimine indigent, sed ratione aetatis et vehementia appetitus et digestionis copiosiori cibo debent uti et minus subtili, nec sunt subtrahenda omnia, quae subtraherentur maioribus in acutis, ut vinum, carnes et similia, sed sunt offerenda cum magna cautela, ut vinum lambruscarum vel aliquod vinum album mixtum vehementer cum tipsano vel aqua simplici, et numquam in horis accessionis nec tempore status, et parum valde,

et quanto plus mixtum fuerit, tanto melius et dulcius steterit mixtum, antequam bibatur, vel ponatur in fonte frigidissimo per noctem cum mica panis cooperto vase, vel infundatur in eo panis assus, vel detur acetum album vel rubeum bene mixtum loco vini pectore stante sano, vel de carnibus pulli parvi et maxime feminini, quia carent siccuositate

— signum huius, quia, ut ait Aristoteles in libro De animalibus, in aetatibus primis pinguedine carent in textura intestinorum —, aves parvae non paludosae, quae iam dudum ovis incubuerunt, et similia, et quanto plus acuitur aegritudo, ut circa statum et in paroxysmo, subtilior[99rb] et minus de diaeta est offerendum, considerantes, si virtus poterit tolerare. Sed medici nostri temporis bene docent et male vivunt, praetermittentes quidquid dicitur in aphorismis ab Ypocrate. Semper a principio usque ad finem farre utuntur et similibus nec secundum tempora morbi diversificantes.

Regula: in febribus acutis neque vinum neque carnes, ova, lac, caseus, pisces, pinguedines nullae et istis proportionalia sunt exhibenda. Alia regula: semper de consueto regimine paulatim admutandum est. Potus horum sit tisanum cum illis considerationibus, quae docentur in libro De regimine acutorum; et est magnae virtutis sucus cum aliquo sirupo,

vinum granatorum, aqua calida, actu si tolerari potest, quae fuerit grandinea, nivalis, pluvialis, fontium vel fluminum laudabilium, vel in eadem aqua coquantur herbae aliquae frigidae supradictae etiam capitulo de sirupis, quod est valde bonum, vel prius sit calefacta et postea

infrigidata, vel decoctio prunorum vel seminum frigidorum vel acetum destillatum cum alembico scilicet cum ventosa, cum qua fit aqua rosata, bene mixtum cum eisdem aquis, quod miraculose operatur. Deorsum vero in ultimo capitulo copiosius de eis dicam in fine primae partis.

Purgatio per secessum.

Communis intentio: in omnibus purgandum est, ut venter solvatur cum cibis et potibus humectantibus, sed in febris et maxime in continuis solitam observamus diaetam, in aliis vero et maxime qui frigidis superabundant, utimur istis cibis: carnibus et piscibus recentibus in bono brodio coctis, oleribus pinguibus mercurialis, feniculi, petroselini, boraginis, aneti et similium, ovis ruptis in aqua cum [99va] cimino et croco, quia piperatam, alliatam, sinapium, acrumina et similia acuta manducare non debent, nisi forsan die vomitus sumendi; vinum moderate mixtum cum aqua decoctionis anisi, apii vel radicum feniculi et petroselini, claretum cum aromatibus factum et laudabiles sirupos de die bibere debent. Carnes eorum sint arietinae, vitulinae, edulinae, caprarum, porcinae biduo vel triduo salitae; pulli, perdices, fasiani, plumei scilicet starni, ficedulae, aviculae parvae, quae in paludibus non degunt; brodia cicerum; pisces fluviales vel marinos vel<ut> lucios, cavedines, allec, capitones, corvos marinos, mugiles, sardanellas, auratas, dentices, umbrinam, araneas, passerres sive plateas, conchilia, cancros et similia. In calida causa cibamus eos oleribus frigidis cum modica pinguedine, lacte amygdalarum, amydo, colatura furfuris, carnibus edulinis, arietinis et similibus temperatis vel ad frigiditatem accedentibus et vino bene mixto. Regula: nec lacte nec ovis vel aliquo vehementer convertibili utendum est in purgando et maxime in his, qui calidis superabundant.

<CAPITULUM XVII.> QUOTIENS OPORTEAT PURGARI IN ANNO

Purgatio duplex est: una solennis et altera non solennis. Voco autem solennem, in qua praecedere debet digestio cum observatione diaetae et horae in sanis lapsis ad praeservationem. Fienda est in nostra habitabili per inferiora circa medium veris et a medietate Aprilis usque ad medietatem Maii in anno semel vel bis ad plus, ut circa principium autumnii et medium veris; si vero per vomitum, quater in anno ab initio veris usque ad finem aestatis, nisi in diebus

magni

infrigidata, vel decoctio prunorum vel seminum frigidorum vel acetum destillatum cum alembico scilicet cum ventosa, cum qua fit aqua rosata, bene mixtum cum eisdem aquis, quod miraculose operatur. Deorsum vero in ultimo capitulo copiosius de eis dicam in fine primae partis.

Purgatio per secessum.

Communis intentio: in omnibus purgandum est, ut venter solvatur cum cibis et potibus humectantibus, sed in febris et maxime in continuis solitam observamus diaetam, in aliis vero et maxime qui frigidis superabundant, utimur istis cibis: carnibus et piscibus recentibus in bono brodio coctis, oleribus pinguibus mercurialis, feniculi, petroselini, boraginis, aneti et similium, ovis ruptis in aqua cum [99va] cimino et croco, quia piperatam, alliatam, sinapium, acrumina et similia acuta manducare non debent, nisi forsan die vomitus sumendi; vinum moderate mixtum cum aqua decoctionis anisi, apii vel radicum feniculi et petroselini, claretum cum aromatibus factum et laudabiles sirupos de die bibere debent. Carnes eorum sint arietinae, vitulinae, edulinae, caprarum, porcinae biduo vel triduo salitae; pulli, perdices, fasiani, plumei scilicet starni, ficedulae, aviculae parvae, quae in paludibus non degunt; brodia cicerum; pisces fluviales vel marinos vel<ut> lucios, cavedines, allec, capitones, corvos marinos, mugiles, sardanellas, auratas, dentices, umbrinam, araneas, passerres sive plateas, conchilia, cancros et similia. In calida causa cibamus eos oleribus frigidis cum modica pinguedine, lacte amygdalarum, amydo, colatura furfuris, carnibus edulinis, arietinis et similibus temperatis vel ad frigiditatem accedentibus et vino bene mixto. Regula: nec lacte nec ovis vel aliquo vehementer convertibili utendum est in purgando et maxime in his, qui calidis superabundant.

<CAPITULUM XVII.> QUOTIENS OPORTEAT PURGARI IN ANNO

Purgatio duplex est: una solennis et altera non solennis. Voco autem solennem, in qua praecedere debet digestio cum observatione diaetae et horae in sanis lapsis ad praeservationem. Fienda est in nostra habitabili per inferiora circa medium veris et a medietate Aprilis usque ad medietatem Maii in anno semel vel bis ad plus, ut circa principium autumnii et medium veris; si vero per vomitum, quater in anno ab initio veris usque ad finem aestatis, nisi in diebus

magni

purgationibus uti debent.

<CAPITULUM XIX. DE ELIGENDA SPECIE PURGATIONIS >

Si vero qua purgatione sit utendum scire volueris, considera situm materiei, quia secundum situm eius purgatio maxime variatur. Verbi gratia, si materia sit in epate, quod cognoscitur, si calida fuerit, per dolorem fortem et punctionem dextri lateris, per tincturam urinae, siccitatem oris et labiorum et similim. Distingue: si declinat ad giplum, <purga> per urinam, si ad simam: partim per egestionem, partim per urinam. Si vero frigida, quod scitur <per> signa contraria, eadem distinctione utendum. Si sit <in> intestinis vel in fundo stomachi, per secessum evacuanda est etiam quocumque tempore; si in ore stomachi, per vomitum, vel etiam in extremitatibus et maxime partium inferiorum. Si sub cute, per

sudorem, scarificationes, fricationes, balneum, ruptoria et cauteria, et maxime, ubi medicina – <materia> inclusa in spiraculum – adviam competentem habere non potest. Si in pectore, per tusses et sputum. Quae omnia, utrum materia sit hic vel ibi, per laesiones operationum, quae fieri debent in membris illis, per superfluitates, per accidentia, quae

membrum naturaliter consequuntur. Quandoque tamen aliqua causa impediens per membrum, ubi materia continetur, purgationem facere non audemus, ut si materia sit in ore stomachi et infirmus patitur rupturam in pectore vel vulnus in pulmone vel apostema in gutture vel si transitus materiei non posset fieri nisi per principalia. [100 rb]

<CAPITULUM XX.> DE CIRCUMSTANTIIS ET CAUTELIS CONSIDERANDIS ANTE PURGATIONEM

Certitudo purgationis non habetur, nisi diligenter hae circumstantiae requirantur, quibus consideratis perfecte evacuatio tuta erit, et sunt undecim; his versibus comprehenduntur:

Ars, aetas, virtus, regio, complexio, forma,

Mos et symptoma, repletio, tempus et aer:

Haec sunt pensanda medico purgare volenti.

[Page 102]

Haec namque cum fuerint contraria ei significationi, per quam purgatio debet fieri, prohibebunt purgationem.

Ars enim quaecumque laboriosa fuerit et multae evacuationis, ut agricultura, fabrilis, ars serviendi in balneo, purgationem prohibebunt, quia superfluum est corpus iterum inanitum inanire; et hi si aliquando laborant aegritudine, calida solet esse, quare calidi humores in his evacuandi sunt. Aetas: incrementum <cautelae sive considerationis> fieri debet ad hoc, quia de facili exit humiditas eorum, quare spasmanantur, et per exitum humiditatis et desiccationem solutivi crescitivae virtutis operatio prohibetur, quare vel nullo vel solvantur debili solutivo, et raro valde decrepiti deferunt, et caloris et humiditatis nutrimentalis parum habent, et nisum virtutum animalium et naturalium patiuntur, quare solutivomultum debilitantur. Non in talibus rem removeo sed rei usum. Virtus naturalis consideranda est, quia fortis virtus fortiolem potest tolerare purgationem et debilis debiliolem. Regio consideranda, quae si fuerit vehementer calida, prohibet purgationem et maxime fortem, quia plurima solutivorum sunt calida, et regula est, quod in regione calida et tempore calido plus movet debile solutivum quam forte in frigida. Aliter etiam consilio passionis et regio, per quam purgandum est, quia semper per propinquiorem et proximoem locum, si via altera fuerit, purgandum est, nisi in aegritudine rheumatica, cum est nova. Complexio multum [100va] calida prohibet evacuationem et multum frigida, quia extrahit humiditatem nutrimentalem et calorem innatum. Forma: habitudo extenuata facile¹⁷ per solutivum, si purgat desiccando, labitur in ethicam. Carnosa et pinguis proprie quaerit¹⁸ solutivum, quod de natura sui habet desiccare et quod non sit nimis resolutivum, ne patiatur suffocationem. Mos: et qui non consuevit purgari, difficilius toleraret, quare leniora sunt offerenda, ne subito recedat a consueto et instet maius periculum, quod nescimus; accidentibus cavere debemus in eo, sicut in illo, qui iam purgatus fuit. Symptomata et aegritudines consideranda sunt tribus modis: praesentia, praeterita et futura. Sciendum enim est, quibus nocumentis molestetur et quid timeat, ut contra

illa medicamina offeramus. Verbi gratia, si laboret scabie de humoribus infectis, purgabimus hiera Rufini vel pillulis de quinque generibus;

[Page 104]

si paralysi, apoplexia vel epilepsia, purgabimus potione Sancti Pauli vel blanca; si coniunguntur aegritudines, coniungantur et medicamina. Item praeterita nocumenta non minus notanda sunt, nam si habere solet epatis calefactionem, fastidium, multam sensibilitatem stomachi et intestinorum, sicut mortem fugimus scammoniam et euforbium; si haemorrhoidas, fugiemus elacterium, scammoniam et euforbium; si patitur in pectore, fugiemus vomitum, licet in asthmate non sit verum.

Futura, quia si patitur de facili vomitum, purgabimus nos contra vomitum; si syncopim, cavebimus fortem medicinam et [100vb] maxime vomicam; si dysenteriam, cavebimus medicinam radentem ut ferruginem vel morsivam vehementis acuminis ut euforbium, esulam et scammoniam, et contra haec incommoda medicamina praeparabimus et utemur

arte nostra in reprimendo et sanando malitiam praedictorum, sicut deorsum plenarie scriptum est. Item si de facili solvitur per medicinam vel difficulter, si constipatus est vel solutus, si bene tolerat saporem medicinarum

vel male. Regula est, quod ponere solutivum et maxime forte super lubricum ventrem habentem vel constipatum et addere solutionem solutioni timorosum. Quidam enim obtulit solutivum cuidam, cuius crisis propinqua erat, et sic geminata solutione decessit ab intestato. Repletio, id est quantitas vel qualitas repletionis, similiter consideratur,

quia multa materia pluribus debet evacuari solutivis, pauca uno, si virtus tolerat. Qualitas eius, ut sciatur, an calidum sit vel frigidum, quod debet evacuari, colera vel flegma et similia. Tempus, quia in calido tempore et raro parum oportet evacuare; sufficit enim, quod a corporibus per fumum extrahitur et sudorem. Similiter in frigido, quia propter frigus retinetur materia tortionum et dolorum commotiva et parum laxat. Idem de aere dicendum. Cum fuerit serenus et purus et clarus, securius purgamus; contrarium vero contrarium. Regula: multus usus solutivorum relinquit ethicam, debilitatem, hydropsim et corrumpit complexionem. Alia regula est: cum aliquem purgare volueris, haec omnia diligenter inquiramus et notata responsione super materiam deliberemus, haec omnia conferentes, et sic secuta fiet purgatio, et nos inreprehensibiles erimus, nil contingentibus obmittentes.[101ra]

[Page 106]

<CAPITULUM XXI.> DE COGNOSCENDIS HUMORIBUS DIGERENDIS ET PURGANDIS TAM CUM FEBRE QUAM SINE FEBRE

Medicus valde sollicitus esse debet, antequam aggrediatur purgationem vel usum digestivi, ut determinet speciem superabundantis humoris et appropinquet cognitioni quantitatis suae, in quantum possibile est ei per signa iuridica et existimationem, quae parum elongetur a veritate. Non numquam enim arbitratur praesumptuosus medicus per urinam, quod superabundet melancolia, eo, quod apparet glauca et tenuis, et colera dominatur, quare purgando melancoliam, quae non peccat, et coleram dimittendo perimit infirmum vel praeparat eum ad aliquam aegritudinem vel dies suos abbreviando mortis periculum operatur; item cum videret urinam rubeam, ecce dicit ipsum laborare dominio calidorum,

cum pluries apparente tali urina frigidi superabundent humores; quare per talem errorem pereunt infirmi. Sed medici, immo lardarii, nostri temporis artem abbreviantes cum suis urceis et fustibus volentes philosophari, qui licet non didicerint, sciunt, sed neglexerut. Dicunt, si urina fuerit colorata: Da ei saccharum vel aliquod tale; si discolorata: Da oxymel, unde quidam talium, cum ferret quis urinam cuiusdam laborantis acuta, qui freneticus factus erat, dixit: Da ei mel. Quo facto, obdormiunt in Domino vel in diabolo. Hi cum Thefilo vel Tephilo deteriore lanam carminare deberent vel delberent proici extra castra. Sunt et quidam alii praesumptuosi et arrogantes, qui, quia vident Priora et Posteriora

Analectica Aristotelis, dicunt se raptos ultra tertium coelum et medicinam divinitus didicisse, non curantes de xperientia vel deitate. Qui [101rb] sicut canes rabidi errores seminantes lapidandi sunt, ne possint orthodoxos contaminare.

Ad cognoscendum, quis humor dominetur ante purgationem, ut ex multis probabilibus unum necessarium generemus, et de sanguine proprio loco haec signa considerabis. Cum repletio sanguinis sit, <per> foramina acciderit gravitas in angulis oculorum, capite et temporibus, impletio venarum, somnus multus, in quo rubea vident, alices et oscitationes, nausea, dulcedo oris, tarditas intellectus, imperfectio sensuum, fatigatio, atque praecedenti labore rubedo in corpore, scabies et apostemata sanguinea, velocitas et plenitudo in pulsu cum mollitie, unde <urina> colorata et spissa accidit, fluxus sanguinis a venis narium, gingivarum, ani et matricum, et cum scalpinus membra sanguinis, exit de facili, rubor faciei, foetor egestionum, et si complexio calida fuerit et humida, et tempus, regio, aetas, praeteritum

[Page 108]

regimen et tempus longum a minutione in idem convenerint, plenius rectificabunt. Flegmatis abundantiam significant albedo superflua cum obscuritate, mollities in tactu et frigiditas, multitudo salivae et sitis paucitas, nisi sit flegma salsum, dolor capitis, oris insipiditas, digerendi debilitas horrenda, rugitus et tortio ventris, urina discolorata et spissa, albedo egestionum cum fluiditate, infrigidatio ventris et intestinorum, gravedo renum, pigrities corporis in sensu et motu, multitudo minctionum, [101va]somnus multus et gravis, imperfectio sensuum, inflatio faciei, mollities pulsus cumque tarditate et parvitate, in somnis nives, flumina et pluviae apparebunt, et si tempus, aetas, consuetudo et regimen praeteritum in idem conveniunt, magis te certificabunt. Flegma salsum significat sitis, salsedo oris, et nonnumquam amaritudinem vicerit adustio in eo, quare credit medicus, quod sit colera, et errat. Item quandoque remotum est a via oris, et remanet insipiditas in ore vel bonus sapor, adest diminutio appetitus cibi et augmentum appetitus aquae potandae, scabies pruriginosa cum squamis albis, urina colorata et mediocris, cantabries aliorum <membrorum> et faciei cum reliquo corporis, et saepe solet esse cum dolore pectoris et tussi sicca. Dulce facit dulcedinem oris, gravitatem frontis, eructuationem ferventem, ac si putrida comedisset, urina est colorata et spissa cum quadam

lividitata vel aemulo colore, plenitudo in venis. In acetoso urina est discolorata et mediocris, indigestio, acetosa eructuatio sine febre, desiderium mordosum, gravitas splenis et maxime post cibum tortio multa, et si fuerit gisseum, apparebunt nodositates in corpore. Flegma aquosum et mucilaginosum habet urinam aquosam, dolores rheumaticos, humiditates narium et totius corporis mollitiem cum frigore superfluo, et cum salivis sputum velut aqua.

Coleram rubeam haec signa declarant: citrinitas oculorum, oris amaritudo, [101vb] siccitas et asperitas linguae et palati, sitis, tinnitus aurium, narium ariditas, pulsus citatus, longus et stinctus, fastidium, nausea et vomitus colericus, strictura ventris, et quandoque solutum abundat in intestinis, peccat quantitate, vigiliarum instantia, dolor dextrae partis capitis, urina colorata et tenuis, fervida in somnis proelia, vexilla citrina, ignes et res alias imaginatur, et si particularia idem

dicunt, plus certificabis. Coleram citrinam vitellinam insinuant: urina subcitrina, mediocriter tenuis, ad mediocritatem multum accedens, amaritudo oris cum insipiditate,

[Page 110]

et movet paroxysmos suos inter horas flegmatis et colerae; tarde solvitur aegritudo, quam inducit; in egestionem apparet quasi mixtura vitellorum ovorum. Colera prasina et eruginosa mordent intestina vehementer, subito movent prorumpendo ad exteriora carbunculum, noli me tangere, lupum et similia apostemata perniciose, quae statim necant ad modum veneni vel difficillime curantur; et signa humores debent²¹ in corpore generari esu aliorum, piperis, sinapii et reliquorum acutorum. Haec sunt signa universalis domini humorum, sed cum dominantur in aliqua parte singulari, secundum locum, in quo sunt, proprias habebunt significationes. Dominium colerae nigrae: lividitas labiorum, sapor acetosus cum putore eructationis, indigestio multa, gravitas et pondus membrorum et maxime inferiorum, macilentia corporis, urina discolorata et tenuis, pulsus debilis et parvus, timor in somno, vehementia appetitus, strictura ventris et in minutione sanguinis nigredo, paucus somnus et multa sollicitudo, et raro dominatur sine vitio splenis, somnia nigrorum et terribilium [102ra] cum aliis particularibus hoc certius demonstrabunt. Et nota, quod in dominio eorundem cum febre signa eadem apparebunt, sed urina plus incendetur, et quaedam signa usque adderem, quae sequuntur febrem ex parte febris, ut sitis, fastidium, amaritudo oris, nausea et vomitus, dolor capitis et similia. Item regula, sine qua non bene thema ducitur, quod, qui patiuntur antiquum dominium sanguinis, praeconi sunt ad hos lapsus: ad cirriam, morfeam rubeam, haemoptoicam, pleuresim, periplemoniam, scabiem saniosam, foetorem oris, mollitiem gingivarum et, quod deterius, in synocham, synocham inflativam, causionidem et synochidem. Qui antiquum dominium colerae patiuntur, labuntur in ephimeram, calefactionem epatis, tympaniten, dysenteriam, causionidem, duplicem et simplicem tertianam, impetiginem, serpiginem et scabiem pruritivam. Si vero flegmatis dominium antiquatur, disponuntur homines ad leucoflegmantiam, asthma, apoplexiam, epilepsiam et spasmodum, paralysim, lenteriam, colicam, arthriticam et similia.

Antiquum dominium melancoliae praeparat hominem ad maniacum, vitium splenis, cardiacam, haemorrhoidas, bolismum et malitiosam epatis opilationem. Item quodcumque dominium nimis excedit, movet ethicam corrumpendo

nutrimentum. Item regula: quod magis medicos in omnibus errare facit, est electio

[Page 112]

materierum; nonnumquam credunt flegma vel melancoliam propter discolorationem urinae et offerunt oxymel vel aliud vehementer calefactivum, quare vehementer laedunt. Idem faciunt de calidis, quod multotiens accidere considerabis. Sed si secundum haec, quae dixi, carius eris, raro peccabis in eligendo curam et formam operationis. Quare nota pro regula, ne vacillet forma iudicii, quod tres sunt usus, ut [102rb] ait Avicenna in primo hoc libro Canonis, in quibus urina

apparet discolorata et excedunt calida sive calor, et tres, ubi urina apparet colorata; sed rigore dominante primus est, cum colera separatur a viis urinae, convertitur ad partem aliam omnino, quod scitur, quia multiplicantur accidentia colerae in parte illa, et tunc apparet urina alba propter remotionem causae tingentis eam, sicut apparet, cum <humor> rapitur ad caput in frenesi et lethargia; vel quando propter remotionem eius a viis urinalibus vel opilationem nil permiscetur urinae vel minus subtiliter excolatur. Tertio, quando non fortis in crisi mundificat a colerica superfluitate venas omnes et <humor> poterit <ire> ad vias sudoris vel egestionis vel ad partem aliquam, quae sibi magis competere videtur. Causa, propter quam urina apparet colorata et homo laborat de facto, est vehementia doloris ut in colica et arthetica, quare tingitur urina tam in calida <causa> quam in frigida, quare per urinam qualitatem causae tunc non possumus definire, aut propter opilationem, quae facta <est> in viis, per quas colera recipitur in cysti et descendit ad intestina, quare remanens cum sanguine et urina tingit eam, aut propter debilitatem epatis et suae virtutis defectum, quae inter aquositatem et sanguinem separationem facere non valet, ut accidit in hydropisi frigida et aegritudinibus debilitantibus epar, quoniam in eis est urina similis loturae carnis recentis, vel propter putrefactionem flegmatis, quam recipit ex opilatione in venis. Et haec vobis communiora mihi insufficiant.

<CAPITULUM XXII.> DE AQUIS ET SIRUPIS , QUI PRO POTU COMPETUNT IN ACUTIS

Medicus multum curare debet de potibus, sive sint aquae sive sirupi, qui competunt in acutis contra morbum vel causam morbi vel utrumque, qui contra sitim et fervorem hora qualibet offeruntur. [102va]

[Page 114]

Inter quos prior est sirupus violatus, qui datur constipatis, et rosatus, qui solutis est, et sirupus gileni, qui fit de aqua cucurbitina vel simplici et zuccaro, quo saepe utimur cum decoctione frigidarum herbarum. Item utimur sirupo frigido de herbis frigidis superius dicto. Item utimur hoc sirupo, qui expertissime valet cardiaco cumque calore et siti, sano existente pectore, et in febribus peracutis: recipe suci prunorum, suci mali granati acidi, acidi mali citrini ana libram unam et oxyfeniciae libram semis, fac sirupum et utere.

De ptisana et aquis ordeaceis.

De aquis vero, quae sumuntur in acutis, melior est aqua ordeae, cuius iuvamenta determinantur ab Ypocrate in libro De regimine acutorum. Sumatur ordeum bonum non vetus, album et durum, bene excorticatum atque pistatum, ut pellis exterior auferatur nec tamen omnino conteratur, cuius inflatio in decoctione sit multa et sorbitio facta ex eo sit multa

valde. Acceptae vero mensurae de hoc ordeo qui undecim partes aquae adde et lento igne vel super prunas tam diu decoque,

quo ad tres mensuras redigas, deinde fortiter conteras et colare studeas. Hoc colamentum vocatur ptisanum, et hoc secundum Constantinum in Pantegni in tractatu ordeï. Vel secundum Ysaac: sumatur ordeum bonum et fricetur,

ut cortex possit auferri, et mensurae ordeï addantur decem mensurae aquae, et tam diu decoquatur, donec ad unam reducatur, et potui postea tribuatur. Vel secundum Avicennam: mensurae ordeï viginti aquae lungantur et decoquendo ad quinque mensuras reducantur, et quod in decoctione rubeum et subtile invenitur, assumatur. Haec [102vb] ptisana et aqua ordeï vocatur; huius nutrimentum est parvum sed humectatio maior; ablutio et excreatio superfluitatum ab ea facta sive digestio est multa aequalis. Ptisana vero, in qua est de substantia ordeï aliquid et farina: eius pluris est nutrimenti et minoris ablutionis et digestionis, ideoque saepe accidit, ut acetet in stomacho naturaliter frigido, et proprie ptisanum da. Sed si decoctio colatur et in ea non multum de substantia ordeï invenitur, aqua ordeï nominatur, maxime si ordeum cum corticibus decoquatur; tunc enim excolatum et mundificatum esse prae ceteris iudicatur. Mini vero magis placet, ut tam diu decoquatur, donec inflationem auferat et parum viscosa vel spissa fiat. Secundum vero Tacuinum taliter fit ptisana: ordeum optimum debet aqua aspergi et postea de corticulis mundari, et cum una mensura ordeï

quattuordecim aquae mensurae debent apponi. Deinde decoquatur et moveatur, quousque coctum fuerit; spuma lixurae extrahatur.

Facimus aquam aliam contra calefactionem epatis, qua utimur in acutis

[Page 116]

et peracutis: polytrichi, capilli Veneris <id est> adianthos, epaticae, ceterach <id est> linguae cervinae, ordeï mundati bene, semina melonis, citrulli, cucurbitae, haec omnia ad libitum, quassentur et coquantur ad lentum ignem, colentur, et colatura cum zuccaro vel pennidiis potui propinatur. Item alia, quae valet in acutis contra calefactionem epatis et purgat materiam per urinam: semina melonis, citrulli, cucumeris et cucurbitae terimus et aquam fervidam superinfundimus et manibus oblactamus, donec fiat quasi lac, et colaturam propinamus mane ieiuno[103ra]. Quidam etiam bulliunt semina ista trita et propinant, sed in bulliendo virtutis adminuunt. Item utimur aqua decoctionis prunorum per se vel cum vino granatorum. Item pro potu aquam rosatam vel violatam propinamus vel humiditatem, quae in concavitate cucuminarum reperitur. Et nota, quod, si praedicta coquantur in aqua fontiva, pluviali, grandinea vel nivali, non obstante quod solet dici de constipatione, perfectius operantur.

<LIBER SECUNDUS >

Capitulum I. partis secundae de errore antiquorum in solutivis.

Capitulum II. de solutivo appropriato unicuique humori naturali vel innaturali vel cum febre vel sine febre et omni generi passionis, cui competit solutivum.

Capitulum III. de dulcorationibus eorum et eis, quae miscentur solutivis, ut facilius sumantur.

Capitulum IV. de cautela <eius>, qui purgatur, cum est in purgatione, scilicet in toto die primo.

Capitulum V. de subtili praeparatione eorum et repressione, ut sint sine periculo omnino.

Capitulum VI. de regulis maxime opportunis in solutione ventris.

Capitulum VII. de his, quae retardant operationes solutivi et vomitus.

Capitulum VIII. de accidentibus et symptomatibus supervenientibus utrique, cum sunt in operatione sua, sicut syncopis, sitis, debilitas, vomitus et quod non potest assellare et similia.

Capitulum IX. de eorum curationibus.

Capitulum X, de cura praeservativa, ne accidant.

Capitulum XI. de transmutatione cuiuslibet solutivi in sirupum vel in aliud, et ut a quolibet facile sumi possit. [103rb]

[Page 118]

Capitulum XII. de vomitu appropriato cuilibet humori tam naturali quam innaturali et morbo, secundum quod est opportunum, cum febre vel sine et in omni genere passionis, ubi vomica competere videntur, et prius in dominio humorum sine febre, <tandem cum febre>, et prius de vomitu colerae, consequenter de vomitibus aliorum humorum.

Capitulum XIII. de numero vomituum tam simplicium quam compositorum laudabilium et receptionibus ipsorum.

Capitulum XIV. de numero solutivorum tam simplicium quam compositorum contra excessum cuiusque humoris, quibus saepe utimur et sunt securiora.

Capitulum XV. <de his,> quae consentiunt vomicae purgationi vel eam fieri prohibent.

Capitulum XVI. in solutivis febrientium acute.

Capitulum XVII. de modo exhibitionis medicinarum solutivarum.

CAPITULUM I. DE ERRORE ANTIQUORUM IN SOLUTIVIS

Antiqui multipliciter erraverunt in solutivis: primo in modo electionis pro diversitate morborum; secundo in praeparationibus ipsorum; tertio in modo exhibitionis in regimine, quod est post et ante; quarto in accidentibus, quae contingunt tempore solutivi. Scito, quod solutivum duas habet intentiones: communem et propriam. De communi venit pro vomica et solutivo deorsum. De propria venit pro eo, quod solvit deorsum tantum. Et quod solvit sursum, est magis efficax in passione materiali difficilis curationis, cuius materia est in ore stomachi et ab umbilico sursum, potens per superiora facilius emitti quam per inferiora, non habens qui aliquam aliam appropriatam purgationem, ut asthma, tussis, empyema, pleuresis, periplemonia, apostema epatis et renum <cum> collectionibus vesicae et calculo [103va] (habet enim unamquamque naturam secundum situm suum et naturae membri appropriatam purgationem), nec per sputum vel sudorem, urinae effusionem et exituras. Sed his duobus modis saepe utimur in purgando. In eligendo peccabant multipliciter. Scripserunt enim quaedam medicamina purgare coleram, quae vel uno modo movent illam, et unam

medicinam compositam conferre excessui quattuor humorum, quod est impossibile propter naturalem resistantiam, quam habent ad invicem

[Page 120]

medicinae; quod si esset, tunc non esset opportuna alia medicina nec etiam contra humores innaturales. Quod qui vult certificare, prius perfectam simplicium noscat cognitionem. Item idem medicamen elegerunt quidam ad purgandum humorem innaturalem cum febre et sine febre. Item idem in continua et interpolata, quae sunt eiusdem speciei. In omni morbo sit diversificandum medicamen secundum diversitatem causae, speciem passionis, locum in membris et conditiones exteriores, quae rectificant operationes. Verbi gratia, benedicta principaliter

purgat flegma, unde competenter datur laborantibus superabundantia naturalis flegmatis sine febre. In cottidiana vero de humore eodem minime vel raro et nisi multum frigidis de natura. In tertiana <et> interpolata competenter purgamus cum diaprunis, diaceraseos, electuario de suco rosarum, nisi sit in tempore fervido nimis et ad acumen nimium

accedere videantur. In continua vero numquam, sed leniori utendum medicamine, quod purget infrigidando, ut trifera saracenica acuta cum reubarbaro vel mirobolanis citrinis, et aliqua leni decoctione, de quibus plenarie deorsum determinabo. Ergo purgas coleram vel flegma alicubi non ubicumque, sed ubi convertuntur [103vb] materiae et mutantur in aliam habitudinem, converti debent medicamina et mutari. Unde quia in continuis omnibus secundum

plus et minus humores propter inflammationem et adustionem, quam recipiunt, in colericam habitudinem transmutantur, et ideo in omnibus continuis vides, quod auctores ad purgandum, qui recte sapiunt, apponunt aliquod colagogum non praetermittentes naturam intrinsecam materiei propriae. Nam nos quandoque purgamus vitium <unum> ab unitate materiei et formae, quandoque unum ab unitate materiei diversum tamen diversitate formae, quandoque diversum diversitate materiei unum tamen identitate formae, quandoque diversum utroque modo; et haec diversitas in

materia et forma quando<que> est ibi actu, et tunc illa non dicuntur proprie unum, nisi aggregatione ut in colera, quandoque ibi partim actu et partim potentia, ut in flegmate salso. Exemplum primi est flegma naturale, nam secundum formam omnia flegmata naturalia communicant, et in naturis intrinsecis materierum non est diversitas. Exemplum est secundi quartana facta de colera naturali mutata in melancoliam propter adustionem, Dico, quod haec melancolia

cum prima colera communicat in materia, differt autem in forma, unde in purgatione eius sunt apponenda diversa medicamina.

[Page 122]

Ratione naturae intrinsecae prioris humoris sunt apponenda purgantia coleram naturalem; ratione eius, qui nunc est, sunt apponenda purgantia melancoliam; et quia secundum hoc actualiter est melancolia per formam suam, de qua magis curandum est, plura sunt apponenda melagoga quam moventia coleram. Unde eruditi medicorum unanimi huius quartanae purgant partim coleram partim melancoliam, sed melancoliam magis. De similibus idem dicendum. Reliqua exempla in parte <tertia> invenies, et licet hoc capitulum loquatur difficulter, quia inde audacter dico: nullum ante nos [104ra] de hac materia fuit excogitatum: tege

et dilige, nam ad multa proficiet, et ego deorsum et alibi apertius tibi loquar. In praeparationibus peccabant, quia dicebant mirobolanos non debere coqui, quia perdebant virtutem laxandi, quia acumina parum debere trahi, quod experientia falsum manifestabis; et in multis aliis. In modo exhibitionis, quia liquida dabant de mane ut decoctiones, dura ut pillulas sero, et similia, cum manifestum sit, quod medicina non attrahit,

nisi resolvatur et patiat a calore innato nostrorum corporum et rectificetur operatio sua a virtutibus naturalibus, quae vigorantur tempore somni, debilitantur autem in vigiliis. Trahentes superfluitates, attractas ponunt ad interiora et generatas ibidem ponunt ad exteriora. Vigorantur tempore vigiliarum: in mane, cum surgimus a somno, movemur

ad egerendum et urinandum, et solutivum confortatur ad movendum in vigiliis, cum iam fuerit resolutum, alioquin non; et ideo post esse solutivum, nisi fuerit vehementis resolutionis ut elleborus, dormiendum est parum vel multum, quamdiu resolvatur. Et non est verum, quod dicunt, quod annihilatur actio solutivi duri in liquida substantia, si super dormiatur, nisi post sui resolutionem. Unde hoc tempore, cum iam movet solutivum, prohibuit vero somnum et non simpliciter, quia somnus sistit omnem superfluxum, <nisi> praestet sudorem, quia prohibet operationem virtutis expulsivae naturalis moventis superfluitates ad exteriora. Nam eius operatio est composita ex virtute sensibili

animali <et> expulsiva naturali. Item cum sumitur de mane, antequam perfecte compleat operationem suam solutivum, sequitur hora cibi meridie, interruptitur cibus et medicina²⁴, ex quo multa pericula oriuntur, ut tortio, dysenteria, hydrops [104rb] et similia. Sed haec vero nova et omnibus fere incognita experientia tantum priorum manifestabit errorem, et tu gaudebis. Circa accidentia, quae contingunt tempore solutivi, errabant, quia nec ea ne acciderent prohibere sciverunt nec debitas adhibuerunt curationes

[Page 124]

his supervenientibus, sicut deorsum in proprio capitulo apparebit.

CAPITULUM II. DE SOLUTIVO APPROPRIATO UNICUIQUE HUMORI NATURALI VEL INNATURALI VEL CUM FEBRE VEL SINE FEBRE ET OMNI GENERI PASSIONIS, CUI COMPETIT SOLUTIVUS

Humorum alii naturales, alii innaturales. Naturalis dicitur humor duobus modis: uno modo dicitur naturalis, qui est fixus secundum naturam debitam, puta nec distemperatus nec immoderatus, et talis non est purgandus, cum sit secundum naturam in corpore; alio modo dicitur naturalis, qui licet sit distemperatus vel immoderatus, humoris tamen species non ut prius fuit colera et melancolia. Isti cum sint praeter naturam in corpore, sunt purgandi debitis unicuique solutivis, et sunt tres: flegma, colera et melancolia. Sanguis vero non purgatur nisi per aperitionem venae naturalem, ut in fluxu menstruorum et haemorrhoidarum, vel artificialem, ut in flebotomia. Nec natura ordinavit solutivum eius ita copiose sicut aliorum humorum, quia rarius peccat quam alii, et eius peccatum facilius corrigitur a natura, et peccat saepius propter innaturalem aliorum admixtionem, et tunc istud corrigitur per propria solutiva uniuscuiusque humoris. Unde mundificare sanguinem nil aliud est quam extrahere ab eo coleram vel alium humorem inficientem ipsum. Nec verum dicunt medici, quod dixit Galienus, quod deberet mactari inventor solutivi sanguinis, quia est amicus naturae: nam cum peccat, est inimicus; et natura bene ordinavit solutivum illud ut betonicam <et> lilium, [104va] unde betonica irabiliter eicit sanguinem oculorum per secessum et ego probavi illud. Unde maceretur, et si cum lymphā sumatur trita, repente sic oculis nocivus sanguis per subteriora debet expelli <et> sic lumina libera reddi his. Humores aliquando abundant cum febre et aliquando sine febre, et qualiter horum quilibet securiter sit purgandus, dicam, et prius de flegmate.

Sed nos Deum prae oculis habentes docebimus virtuosa solutiva pro pauperibus pauci constamenti, ne gravemus infirmos, ut sic a nobis recedere cogantur, sicut factum est ab antiquis, et cum quibus possit rudis quilibet operari, dum parum sit instructus in medicina. Item non uno modo sed pluribus hoc facere valebimus, ut una medicina deficiente

reliquas aequalescere inveniamus, veluti solent facere copiosi. Flegma ergo naturale sic purga post digestionem: recipe hierae picrae

[Page 126]

vel benedictae vel blancae veteris et laxativae drachmas sex et resolve cum aqua decoctionis anisi vel feniculi vel alicuius extenuantis ventositatem, agarici, polypodii ana unciam semis, et pone super ignem lentum cum uncia una vel semis zucararum vel paucis melle, si aliud non habueris, et cum bullire ceperit, cola et colaturam sero patienti propina

observans quae supra diximus et dicemus. Forti autem ut rustico posses non colatum offerre sine laesione. Da curam in istis. Haec omnia electuaria purgant de naturali sua receptione flegma calefaciendo; anisum et similia extenuant ventositatem solutivi. Et regula est, quod cum omni solutivo praeterquam in causis calidis apponendum <est> aliquid, quod consumat ventositatem, ne sequatur dolor ventris et tortio propter resolutionem humorum fac[104vb] tam infirmum a solutivo. Item alia regula: quaecumque medicina offertur, debet exhiberi cum aliquo augente virtutem eius, et ideo addimus agaricum et polypodium. Item regula est, quod omnis medicina cocta perdit malitiam et lenius solvit, et falsum est, quod reubarbarum et mirobolani cocti, ut solet dici, perdunt virtutem laxandi. Arabes enim coquunt eos et ego, sed parum. Item alia regula, quod plus est offerendum, quando coquitur medicina quam si cruda offeratur, et lenius purgat colata quam non colata. Vel purga cum eisdem oblatis sero more electuarii, ita, quod de uno vel de omnibus quaelibet misceris. Ibi non excedat dosi <dosim> unciae semis, nisi in forti, et blanca parum debet acui, quia laxativum est multum de receptione sua. Et regula est, quod multum laxativa de receptione sua parum debent acui, ut hiera Rufini, hiera fortissima Galieni et similia. Item regula, quod licet solutivis,

ut melius sumantur, admisceri dulcia vel acetosa vel res alterius saporis, nisi sint aliqua contra naturam solutivi. Vel da septendecim pillulas de paulino sine opio (parum enim constat et mirabiliter immutat et solvit suaviter constipationem ventris). Vel lava aloes citrinum, hoc modo tere et superinfunde aquam decoctionis anisi, cinnamomi et similium aromatum; move cum baculo diu et permitte residere et hoc ter vel quater, reliquum vero serva et da, cum opus fuerit, involutum nebula vel cum ovo sorbili drachmas tres, et est medicina, qua utuntur Ebraei sae pissime, quam acceperunt a Gamaliele, medico famoso eorum, laudata multum. Suaviter purgat flegma confortando, cum omnia alia solutiva purgent debilitando

[Page 128]

stomachum. Vel si fuerit debilitatus, purga cum hac decoctione: suavius enim purgant decoctiones, [105ra] sed gravius sumuntur. Recipe polypodii, anisi, feniculi, apii, petroselini ana unciam semis, agarici, absinthii ana drachmas duas, quassa, coque, cola et in colatura resolve corticum mirobolanorum kebulorum drachmas quattuor, si febrit, vel, si non febrit, benedictae veteris et laxativae unciam semis, et addita uncia una sirupi violati vel alicuius dulcorativi et deposita actuali frigiditate offeras patienti sero, - quia in hoc discordamus ab universis antiquis, - si non febrit, quia si febris cum sero die quaelibet affligatur, non sit offerenda medicina hora accessionis, <sed> oportet tempestive de mane dari, ne

contra artis regulas facere videamur. Si vero volueris purgare eundem humorem vel alium <calefaciendo, resolve> claretum aquis aliquibus solutivis. Unum summo opere oportet scire: quae medicinae purgent calefaciendo et quae infrigidando in omni specie humoris. Verbi gratia, benedicta purgat calefaciendo flegma, hiera picra, picra et similia; unde cum his flegma cum febre et maxime continua et in aestate purgare non audemus. Quaedam purgant eandem <speciem> infrigidando, ut mirobolani kebuli, vel debiliter calefaciendo, ut polypodium, agaricus et turbit, et cum istis in febre securius purgamus quolibet tempore anni. Unde neglectis his considerationibus multa pericula vidi. In continua tamen meminisse oportet frigidis purgandum esse et maxime in aestate, unde nullo modo cum aliqua scammoniata medicina purgamus continua laborantes nisi in hieme, et hoc raro. Regula generalis, quia quaecumque purgant humorem dominantem extra et intus cum febre et sine febre: et tamen non sunt omnia ista communia offerenda. Dandum est enim aliud loco et dyscrasiae <et> febris [105rb], et ideo non est prorsus eadem medicina <danda> in continuis et interpolatis eiusdem speciei nec contra humorem dominantem cum febre et sine febre. Vel aliter purga: sume mirobolanorum kebulorum corticum dramas quattuor, tere vehementer, cribra et duc diu in mortario cum uncia una sirupi violati et distempera cum aqua simplici vel, quod melius est, cum rore, qui invenitur inter folia cannae et stipitem, et offeras ut prius. Hoc enim solvit cottidianam de flegmate naturali, post digestionem datum de tertio in tertium diem vel de quinto in quintum, delicatis colatum, rusticis non, et purgat sine omni molestia. Datur iterum sanis ad praeservationem aegritudinum, quae nascuntur de eodem humore.

[Page 130]

Vel aliter: sume benedictae veteris et laxativae unciam semis, misce cum pliris arcoticon vel cingibrata alexandrina vel usuali et offer ad manducandum more electuarii. His modis purgabis flegma in qualibet aegritudine de flegmate.

Sed regula est, quod cuilibet aegritudini debetur propria medicina ex specie morbi et loco passionis. Verbi gratia, epilepsiae debetur blanca, potio Sancti Pauli, piretrum et similia, et de natura loci, quae proprie respiciunt caput, ut muscus, ruta, hysopus, castoreum, asa et similia, et sic in quolibet morbo quaerenda est medicina secundum doctos medicos illi appropriata. Flegma acetosum, vitreum et gipseum, mucilaginosum et ponticum purgabis sicut naturale, sed in acetoso miscebis medietatem vel parum minus eorum, quae purgant melancoliam, ut ad drachmas duas vel tres benedictae acutae drachmas duas diasene vel ad minus drachmam unam, et in decoctione pones thymum, epithymum, camedreos, mirobolanos [105va] Indos et similia, sicut videtis expedire.

Vitreum, gipseum, mucilaginosum et ponticum cum eisdem, cum quibus purgabis flegma naturale, et potissime cum hiera, cum hiera picra et hiera fortissima Galieni addendo semper salem nitrum, qui est liquefactivus horum humorum, vel saltim communem vel salem gemma. Flegma salsum abundans sine febre saepius cum scabie solet esse, quod purgat proprie hiera Rufini vetus et laxativa, redacta in pillulas vel sumpta more electuarii vel parata in unciae semis pondere, sicut supra docui de benedicta; sirupus de fumiterrae <herba et> aqua calida mane bibita reprimit acumen colerae et salsi flegmatis. Item medicina Ysaac a me probata: recipe oxyfeniciae unciam unam, solve in sero caprino solo

vel in quo bullierint violae vel absinthium, cola et sero da. Probavi hoc multum valere, si saepe sumatur. Dulce purgatur eodem modo, hoc excepto, quod oportent addi mundificantia sanguinem, ut violae, cassiae fistulae, manna, capillus Veneris et similia, sed non cum hiera Rufini. Deorsum vero invenies plura de eodem. Coleram vero naturalem abundantem sine febre sic suaviter purgabis, nisi in epate abundet: recipe electuarii de suco rosarum veteris et laxativi

drachmas quattuor, distempera cum sirupo violato, et addito sero caprino calido et pauca aqua propina; vel fac idem cum sola aqua decoctionis aliquarum septem herbarum frigidarum usitatarum, ut capillorum

[Page 132]

Veneris, linguae cervinae et similium, vel cum decoctione violarum vel lacte seminum frigidorum. Item potes facere de prunis, oxypsillitico, monopisside, diamanna, <electuario> frigido Cophonis, diaceraseos et quibuscumque purgantibus coleram principaliter.

Sed electuarium de suco rosarum magis competit delicatis, quod suavius purgat et est delectabile in gustu, quod raro invenitur in reliquis solutivis. [105vb] Vel sume tres drachmas alicuius praedictorum et praepara cum decoctione

violarum, absinthii et prunorum, sicut docui superius de purgationibus flegmatis. Vel aliter, quando aliam paratam non habes medicinam: sume pomum aliquod usuale et fac concavitatem in medio ita, quod coronam pomi non abicias, et drachmam unam pulveris scammoniae electae intus pone, coronam reduc in locum suum bene stringendo et infige fustes aliquos, ut bene cohaereant, involve in argilla vel cinica ipsum posthac, coque diu, donec pasta quasi adiungatur, sub cineribus vel in furno, et abiecta scammonia pomum offeras ad modum. Vel munda pomum et diu tore in mortario cum zuccaro vel pennidiis, pulvere sandalorum, pauco sirupo violato, da ad modum electuarii: suavissime purgat et competit delicatis sine epatis calefactione. Si vero fuerit cum febre vel epatis calefactione, nobilibus istum pulverem

damus: recipe reubarbari electi, zuccari ana drachmas quattuor, sero da securiter cum frigida. Et nota, quod eubarbarum cum frigi-da²⁸ plus laxat <quam> cum calida, provocat urinam et croceam reddit. Idem de reupontico, sed plus pone, quia minus laxat. Vel distempera dictum pulverem cum aliquo sirupo competenti violato et aqua frigida.

Vel purga cum hac nobilissima decoctione: <recipe> herbas frigidas, ordeum mundatum ad libitum, violarum, absinthii, prunorum ana unciam semis, bulliant in sero caprino et aqua vel sola aqua simplici, et in colatura resolvatur cassia fistula, manna, tamarindorum ana uncia una, et colentur per catinam perforatam. Seniori vero ponatur reubarbari uncia semis vel loco reubarbari tantundem mirobolani citrini in pauperibus sani pectoris in aqua rosata vel aqua simplici.

Antiqui ponebant hoc totum <per noctem>²⁹ sub divo, ego vero exspecto per duas <horas> vel per tres, quia de illo divo nil ad me, et in delicatis loco reubarbari³⁰ adiungo cassiam fistulam et aliis addendo

[Page 134]

sirupum [106ra] violatum, et sic circa gallicinium offero et patientem parum dormire sino. In forti non colo sed totam substantiam praedictis admisco, et nota, quod in omni potenti decoctionem accipere reubarbarum tritum aquae infundimus, per diem colamus et colaturae iungimus sirupum violatum et offerimus. In pueris etiam febrientibus quinque vel septem annorum de reubarbarointegro in aqua zuccarata apponimus et facimus sicut prius. In pueris septem annorum vel ulterius unam drachmam reubarbari cum sirupo violato et aqua frigida post digestionem et maxime constipatis securiter adhibemus: febrem aufert et lumbricos puerorum recidit. Item contingit quandoque ethicum vel ptisicum vel ex causa aliqua vehementer putrida laborare vel habere humores paratos ad putrefactionem, quibus solutivum vehementer inimicatur, quia complet consumptionem in ipsis: his ergo solum serum caprinum adhibemus per noctem sub divo expositum, mane vero adiecta aqua super prunas calefactum cum mica panis offerimus manducandum, et hoc pluries in septimana; mirabiliter confert. Vel in decoctione praedicta solam cassiam fistulam et mannam ponimus sine tamarindis, quia laedunt pectus et desiccatos, et cum sirupo violato propinamus. Vel his addimus drachmam unam reubarbari; hoc enim mundificat sanguinem et solvit ad duas sellas. Item nota, quod diversis solutivis eundem humorem purgantibus licet miscere simul propter diversas commoditates. Verbi gratia, katharticum imperiale purgat coleram calefaciendo et proprie capitis, electuarium de suco rosarum coleram iuncturarum; cum ergo utrumque facere quaeris, misce drachmas duas de utroque et fac ut prius. Item regula: decoctionibus, aquis, sirupis laxativis mane utimur in aestate. Alia regula: numquam in decoctionibus est ponenda scammonia, elacterium, euforbium vel aliud tale. Item regula: male miscentur mirobolani et reubarbarum scammoniae vel scammoniatis medicinis. Alia regula: medicinis non debemus uti in aestate scammoniatis nec in continuis nec in extenuatis nec convalescentibus ab aegritudine nec debilibus nec fastidientibus nec ictericis [106rb] et novam epatis calefactionem habentibus. Item alia regula: eisdem medicinis purgamus coleram in qualibet aegritudine observatis specie morbi et loco passionis et in sanis lapsis, sed

[Page 136]

debilioribus cum modica observatione diaetae, et eisdem subvenimus ex colera constipatis. Item suavem et facilem decoctionem et nimis nobilem sic facies: zuccarum violatum solve cum frigida, adde acumina iam factae decoctionis, ut prius dictum est, abiciendo, quae ponebantur ad coquendum in aqua, et da ut prius. Vel aliquod electuarium resolutivum colerae distempera cum aqua, in qua dictum zuccarum violatum sit solutum. Erit enim boni saporis et in purgatione suave. Melancoliam purgabis hoc modo: sume hierae logodion vel hierae fortissimae Galieni veteris et laxativae drachmas duas, diasene drachmas tres, resolve in aqua decoctionis thymi, epithymi, centaureae minoris, corticis radices celsi, anisi, apii: omnium vel quarundam ana unciam semis; pone super ignem lentum et adde unciam unam zuccari vel sirupi violati et fac, ut diximus <de> solutivo flegmatis naturalis. Vel sume mirobolanorum indorum drachmas quinque, kebulorum corticis drachmam unam, tere subtiliter et duc diu cum uncia una sirupi violati in mortario, donec sit sicut medulla, et distempera cum aqua praedictae decoctionis et sero da. Sed si addideris mirobolanis drachmas duas lapolislazuli vel armenici non loti, et si subtraxeris kebulos, plus valebit. Vel purga cum hac nobili decoctione: herbae praedictae cum prunis, violis, sene, sticados, camedreos, lingua bovina, polypodio, aniso, apio, cortice radices feniculi ana uncia semis: coquantur in sero caprino et pauca aqua, et in colatura resolve mannae, cassiae fistulae, tamarindorum

ana unciam semis, mirobolanorum indorum drachmas quinque <sed fermenta prius in mortario cum sirupo violato>, lapolislazuli vel armenici drachmas duas comminuti, sicut scis, et sero da cum frigida vel cum vino, si non febrit, nam aqua commovet indigestionem splenis et melancoliae. Signum huius, quia qui surgunt ab acutis, propter usum

aquae splenetici plures facti sunt. Regula: eodem modo purgamus coleram flegmaticam, sed multiplicamus

polypodium et mirobolanos kebulos. Melancoliam colericam purgantes [106va] addimus reubarbarum et mirobolanos

citrinos; in sanguinea mundificantia sanguinem augemus. Coleram prasinam et eruginosam et illam perniciosam melancoliam, quae per vehementem generatur adustionem, cum decoctione colerae rubeae purgamus pauca melancolica adiungentes et

fumi terrae et absinthii sucum vel decoctionem.

[Page 138]

Alia regula: omnes praedictos humores habentes cum febre continua vel interpolata purgamus eodem modo sed cum suis decoctionibus, tantum debilibus et delicatis colando, fortibus et robustis totam substantiam solutivorum offerimus.

Scammoniatas medicinas et quae purgant calefaciendo, in febribus et maxime continuis exhibere non audemus, nisi cum valde in acumine remittuntur, et tunc eligimus securiores. In causon, hemitritaeis, speciebus synochi, tertiana, pleuresi et periplemonia et apostemate splenis numquam, licet aliud scriptum inveniatur. Item nota, quod dispensationes medicinarum mearum factae sunt secundum doses medicinarum non maiores vel minores sed mediocres, unde licet addere et minuere, quia nulla compositio medicinarum fixa est nisi secundum plurimum, sed oportent propter imminentes causas pluries variari. Regula: in fastidiosis, debilibus et extenuatis non debemus uti scammoniatis

nec sibi similibus, quia purgant debilitando, desiccando, fastidium inferendo. Pillulae vero paucae vel nullae purgant coleram principaliter, et praeter simplices movent malitiose, et maxime, quas conficiunt apothecarii nostri temporis, qui multiplicant ibi scammoniam vel elacterium, ut plus cacare faciant. Non curant enim, quid et quomodo solvant, sed cuius medicinae plus cacare faciunt, inter alios melior iudicatur. Quare omnes arrogatae sunt, quas ipsi conficiunt,

et numquam cautus utetur eis praeter pillulas auctorum; quas numquam, sicut nos acuiamus, in auctore aliquo acutas invenietis. Antiquo enim tempore nullum medicamen acuebatur, quod adhuc servatur inter Saracenos.

Item si quaeris multam diversitatem solutivorum contra omnem humorem, perfecte [106vb] deorsum determinatum invenies.

CAPITULUM III. DE DULCORATIONIBUS EORUM ET REBUS, QUAE MISCENTUR SOLUTIVIS, UT FACILIUS SUMANTUR

Nos non dulcoramus proprie nisi pillulas et pulveres solutivos. Pillulas sic dulcorant quidam: ponunt unam in summitate stili vel acus et subito infundunt eam in cera liquefacta et extrahunt et prociunt in aquam frigidam. Sic paratae diu possunt teneri in ore sine amaricatione aliqua. Sed propter ceram, quae virtutem habet constringendi, difficulter

[Page 140]

resolvuntur et solvunt parum et cum tortione. Nos vero hoc incommodum vitare volentes ceram remollimus parum olei apponentes. Item aliter et melius: bullimus zuccarum aqua resolutum vel aliquem sirupum, donec adeo inspissetur, quod gutta proiecta supra marmor indurari videatur, acsi inde pennidiae fieri deberent, et ibi pillulas involvimus et siccamus. Idem facimus de melle adeo cocto, sicut profundis suppositoriis solet coqui. Vel aliter: madefac pillulas parum in aqua infusionis gummi arabici et habeas pulverem amydi vel pennidiarum vel zuccari ad libitum in scutella una, proice pillulas madefactas intus et inter duas scutellas move et siccare permittit. Vel offerimus eas in nebula involutas vel cum ovo sorbili vel cum lacte amygdalarum vel pultribus aliquibus vel includimus eas in botro uvae vel in ceraso vel implemus os vino, et elevato collo, quanto profunditus possumus, circa radicem linguae imponimus. Pulveri vero dulcorando tantundem zuccari admiscemus. Electuaria vero quaedam propter nimiam amaritudinem dulcorari non

possunt, ut picra, hiera Rufini, hiera picra, quae reducimus in pillulas et dulcoramus ut prius vel offerimus more electuarii in melle rosato involuta. Quaedam vero non sic amara sed tamen horribilia reddimus meliora admiscendo eis in frigida causa cingiberatam usuaem vel et in nobilibus pliris vel diamargariton, in calidis causis zuccarum violatum

vel diarrhodon abbatis et similia. Vel purgamus ea, <ut> in proximo capitulo [107ra] dictum est, vel reducimus <in> stomaticon vel sirupos vel claretum, sicut inferius dicitur.

CAPITULUM IV. DE CAUTELA EIUS, QUI PURGATUR, CUM EST IN PURGATIONE, SCILICET IN TOTO DIE PRIMO

Qui purgatur, cibum caveat vehementer, priusquam medicina inceperit operari, quod scitur per tortionem ventris et sensibilem motum superfluitatum per corpus, et multum ieiunandum est de supremis, si virtus poterit tolerare. Alioquin bucellam panis infusi in vino sumat, vel aliquod brodium pingue, si fuerit sine febre nec colericus, bibat. Colericus

vero et febriens in vino granatorum panem infundat vel sumat aliquod electuarium confortativum, ut zuccarum violatum vel diarrhodon. Et cum cibus sumitur ante perfectam corporis mundificationem, retinetur in corpore medicina. Et sunt quaedam medicinae, in quarum

[Page 142]

retentione est timor, ut omnes scammoniatae, euforbiatae, elleboricae, et quaecumque recipiunt violenta, et quaedam non, ut tamarindi, cassia fistula, manna et similia. Et ante tres vel quattuor assellationes aquam calidam non bibat, quia vomitum irritat et medicinam nos eicere facit. Sed post multum adiuvat operationem medicinae et sic aperit angustiam et maxime eius, qui elleborum assumpsit. Nec dormiat, nisi restringi velit, quod est malum, antequam perfecte exeat medicina, nisi forte nondum

medicina fuerit resoluta. Vitet calorem plurimum, ne sudare faciat et debilitatem inducat. Si timet vomitum, sternutet, liget extremitates et odoret odores bonos et res stipticas mastice. Ne tangat aquam frigidam, si sumpsit medicinam aliquam violentam, et in loco calido assolvat, ne incurrat dysenteriam, tenasmon, syncopim, febrem, spasmus et similia. Quibus supervenientibus subvenies, ut in tertia particula huius nostri libri invenies per propria distinctum capitula. Hic vero de <ali> quibus breviter percurram, ut <de> siti, dolore ventris,

debilitate infirmi et defectu assellationis. Contra sitim sugat mala granata et maxime dulcia, et crede, quod liquiritia

mirabilis est et candi, et nobilis corallus rubeus magus ore tentus et ad collum suspensus contra sitim sua proprietate mirabiliter [107rb] operatur et sugere poma et fructus usuales non stipticos ita, quod substantia non traiciatur. Est de bonis et lavare os cum frigida et bibere calidam cum sirupo violato, et sorbitio facta de zuccaro violato vel dissoluta

in calida est de benedictis. Dolori ventris confert superpositio pulvinaris vel lateris calefacti consparsi aqua vel vino, et panni vel spongiae infusae aqua simplici calida satis vel in aqua decoctionis parietariae vel apii mire prosunt, et vesica

aenea plena vino vel oleo calido similiter, vel sacellatio ventris cum sabe asso, milio, ordeo vel panico, vel folia ebuli calefacta super testam, consparsa vino, vel aqua decoctionis anisi, carvi et apii bibita cum melle rosato. Debilitati infirmi subveniunt electuaria aromatica distinguendo causas: in calida diarrhodon cum musco, zucarum violatum, triasandalis et similia; in frigida dianthos cum musco, pliris, muscata amara; et in utraque diarrhodon Julii et diamargariton et panis assus aceto infusus, masticatus et ad nares tentus, aqua rosata parum calefacta et per faciem

et pulsus sparsa vel cibus sumptus, ut docui. De defectu assellationis et omni gravedine ventris ex retentione medicinae:

[Page 144]

super omnia subvenit cristere mollitum factum sine sale vel modica salis appositione – cela hoc, quia hoc subvenit, ubi alia deficiunt – et suppositorium de sale, melle et stercore muris factum vel de sapone duro vel sale gemma vel radice porri fricata super salem tritum vel radice malvavisci similiter parata ad modum digiti – sed scias, quod

suppositoria operantur super extremitatem ani – vel fricare ventrem ad ignem et potare calidam sero circa vespas vel parum ante. Bibat de brodio gallinae calido remota pinguedine, febriens vero lac calidum amygdalarum colatum, et non dormiat, sed deambulet post hoc ad horam, quia statim stringeretur et [107va] torqueretur, si quid remanserit de medicina; et iterum bibat et dormiat; sero parum manducet et bibat et omnia actualiter calida, ne spasmetur, si purgatus est medicina violenta, quae purgat fortiter dissolvendo et inattrahendo, ut elleborus, scammonia, euforbium et similia. Cum mirobolanis et reubarbaro licet bibere frigidam, nisi aliud impediatur, ut opilatio epatis et splenis, strictura pectoris et similia; et confert tolerare sitim, quia loco potus consumuntur superfluitates, nec debemus naturam fatigatam et medicinam ciborum et potuum multitudine praegravare. Idem per omnia in vomitibus observandum. Item alia regula, quod qui citius purgatur, citius cibari potest.

CAPITULUM V. DE SUBTILI PRAEPARATIONE EORUM ET REPRESSIONE, UT SINT SINE PERICULO OMNINO

Repressio medicinarum duplex est: una in simplicibus et <altera> in compositis. Item quaelibet illarum duplex: una generalis et altera specialis. Generalis iterum multiplex. Sed de omnibus quinque magis utiles et necessarias ponam.

Prima fit per temporis antiquitatem. Omne enim solutivum antiquitate debilitatur et in purgando suavius esse solet. Hanc dimitto naturae et consulo, quod hanc omnino praetermittatis. Voco autem solutiva antiqua post annum vel parum ante. Alia vero fit per decoctionem solutivi in aqua valente ad idem cum solutivo, sicut docui in capitulo de solutivis appropriatis cuilibet humori. Hanc serva, ubi vis; est enim certa. Tertia fit per reductionem in sirupum vel nectar vel stomaticon. In sirupum hoc modo: sumantur cuiuscumque electuarii veteris et laxativi vel etiam recentis, dum tamen non multum, unciae septem; resolve subtilissime

[Page 146]

cum aqua, et in hac aqua pone zuccari libram unam, pone ad lentum ignem, et cum spumam videris elevatam, cola et coque iterato. Vel fac sirupum de sola aqua et zuccaro, et electuarius solve in aqua, cola per pannum rarum et dicto sirupo adiunge. Sed si non colatum posueris, fortior erit, sed minus delicatus. Da de eo uncias duas delicatis cum calida.

Sed si in stomaticon reducere volueris, coque quemcumque sirupum volueris in dicto pulvere diu et uncias septem non dissoluti [107vb] prius electuarii vel cuiuscumque pulveris solutivi, quantum sufficere videatur, considerando debitam dosim eius, ut pro qualibet uncia sirupi vel stomaticon veniat de illo solutivo quantitas, quae per se sufficere videatur,

et plus, et coque ad tantam spissitudinem agitando semper cum spatula, ne comburatur, nec gutta super marmr posita induretur. Tunc totum pone supra marmor decline, inunctum oleo rosato vel aqua rosata infusum, et cum tabella marmorea, quod pulchrius est, similiter iniuncta vel cum spatula vel manu supra marmor extende, donec sit subtile et

planum, sicut vis, et si per se discurrat supra marmor, non est opus alio ingenio; sine, donec durum sit, et da unciam unam ad

manducandum cum debita praeparatione, et suaviter solvit. Vel fac claretum de vino electo hoc modo: recipe vini optimi albi vel saltem rubei libras novem, et una parte coque polypodii uncias tres, apii, seminum anisi ana uncias tres, cola et misce illud cum vino, quod non bullierit, quia bullitio cor rumpit vinum, addendo pulverem istarum

specierum: cinnamomi unciam unam, cingiberis unciam semis, macae, cardamomi ana drachmam unam, spicae, galangae ana drachmas duas, zedoarii drachmam unam, et libram unam et semis zuccari albissimi in nobili. In plebeio, cui non est datum nosse, quid sit delectatio saecularis, tantundem adiunge mellis despumati, repone ad ignem parum

et move cum ligno quodam, pone in vase boni saporis angusto et bene claude, addendo vinum frigidum, donec sapor nectaris tibi placeat. Da, cum opus fuerit, libram semis vel uncias quattuor ad bibendum sero sicut reliqua solutiva. Et nota, quod parum de omni clareto facere debes, quia cito accessit, nisi bibatur. Et haec est ars faciendi acetum occultum,

in quo laborant alchimistae, et scias, quod deorsum, ubi ponam receptiones quorundam solutivorum, mirabiles permutationes invenies medicinarum. Quarta vero repressio est, quae fit per admixtionem quarundam vero rerum

frangentium malitiam medicinae. Verbi gratia, aloes <et> scammonia purgant excoriando et ora [108ra] venarum aperiendo, licet scammonia

[Page 148]

in hoc sit fortior. Quibus admiscemus bdellium et dragagantum: glutinat enim dragagantum, quod abraserunt prae dicta, et confortat bdellium venarum orificia, et est incolume valde. Similiter mastix et semina apii frangunt malitiam scammoniae et castoreum opii et acetum ferruginis, et sic de singulis. Sed decoctio frangit omnis malitiam solutivi.

Quinta autem et ultima repressio fit per distillationem cum filtro et non cum ventosis nec cum vase testeo, ut multi mentiti sunt repressionem simplicium, quia Ricardus quaedam tetigit, licet multum imperfecte. Et quia, quae hic dicuntur, valent in simplicibus et compositis, propter brevitatem operis praetermitto. Alibi, si tempus se mihi obtulerit opportunum, perfecte determinabo.

CAPITULUM VI. DE REGULIS MAXIMA OPPORTUNIS IN SOLUTIONE VENTRIS

De his, quae oportent observari, antequam sumatur medicina, cum sumenda fuerit die suo, est, ut sero cenet tempestive et moderate, ne nimia repletio et festina solutivum assumptum prohibeat retineri, vomitum irritando, quod apud incautos medicos saepius solet esse. Item inventum meum sternutatorium in naribus ponendum est, ut impetus sternutationis veniat statim, cum iam fuerit sumptum solutivum; hoc enim fortiter vomitum inhibet. Et non refert, nisi febrat vel sit supercalefactus, an sumatur medicina cum frigida vel cum vino. Cum vino enim oblata vel sequente vino post assumptionem melius operatur. Et cum sumitur medicina, bonum est stringere nares, ne sentiatur odor medicinae, et gargarizare prius acetum, et post assumptionem os bene colluetur cum aqua, vino, agresta vel aceto. Sed in solutivis, quae supra docui, et reliquis, quibus utor, propter remotionem malitiae et bonitatem saporis de istis talibus parum curo. Antiqui ligabant extremitates, quod parum prodesse credas. Cave dare medicinam in interluniis et cum luna fuerit in signo fixo, cum domus ascendens fuerit applicatus domui medii coeli, quia vomet eam et non proficiet, [108rb] et cum luna accesserit ad combustionem et cum est infortunata. Et de melioribus cautelis secundum quod accepi de Canone medicinae et de diaetis universalibus, ubi loquitur de quodam iuvene, qui sumpserat

[Page 150]

scammoniam et de dolore ventris conquerebatur, est sicut probavi, ut manducet parum sumpta medicina irritantia appetitum et confortantia os stomachi, ut pira vel poma cum pane vel sine vel panem assum infusum in vino vel aceto, ut fiat quasi lectus super medicinam quidam et sic prohibeatur vomitus et ante tempus emissio medicinae, et ut dormiat de nocte capite elevato securiter, usque quo excitaverit medicina. Nobilibus vero spargatur aqua rosata vel muscata per faciem, et potus consimilis propinetur, pauperibus vero vinum vel acetum et valde frigidum.

Ad ignem ventrem calefaciamus, et si pillulas obtulerimus, cave, quod sint molles per se vel liquore aliquo remollitae, ut facilius resolvantursine fatigatione naturae. Vidi enim plurimos cum magno periculo sequenti

die pillulas integras evomentes. Item ante haec omnia diligenter examinandus est, qui purgatur, his interrogationibus et bene notandae responsiones, quia secundum hoc variabitur medicina: utrum aliquando sit passus haemoptoicam vel

stricturam pectoris vehementem vel tussim siccam, ptisim vel similia, quia tunc non est purgandus vomitu nec mirobolanis vel medicina, quae soleat exacuere morbos istos, et an haemorrhoidas patiat, quae irritantur scammonia, euforbio et ab omni, quod purgat movendo violenter humores ad inferiora, et maxime, si sit medicina acuta et mordicativa, de qua regulare est, quod nocet delicatis, convalescentibus, debilibus, mulieribus, pueris et his, qui tenuem habent ventrem et tenuia intestina et quorum corpora ad multam siccitatem pervenerunt, et his, qui numquam medicinam acceperunt, de quibus dubitatur, utrum de facili vel difficulter per pharmacum moveantur. Regula enim est, quod his omnibus pauca, debilis nec multum desiccativa, mordax vel acuta danda est medicina, licet tamen mulieribus propter humiditatem sexus securius dari possit. Quae omnia breviter et tamen utiliter [108va] pertranseo, quia sunt supra diligenter determinata.

Retardant et impediunt operationes solutivi et vomitus: somnus post perfectam dissolutionem medicinae et postquam inceperit operari; potus aquae frigidae, quia constringit vias, per quas superfluitates attrahuntur

[Page 152]

et expelluntur, inviscat medicinam stomacho et intestinis, unde saepe dysenteria nasci solet, tortio et rugitus, tenasmon et exitus longaonisi; frigus aeris et loci, in quo solemus vomere vel assellare, propter eandem causam; retentio egestionis, cum voluntas institerit assellandi; indigestio humorum, unde nulla medicina solvit suaviter et sine periculo, nisi materia sit digesta antecedens; constipatio ventris, unde venter ante solutivum semper lubricus esse debet; esus desiccativorum, ut assatorum, ponticorum et similium, quare haec omnia prohibenda sunt in purgandis; item festina assumptio cibi. Unde talis datur regula, quod quamdiu solutivum est vel vomitus est in operatione sua, nihil de natura cibi est offerendum, nisi institerit vehemens angustia vel debilitatio nimia vel nisi purgatio modum excedere videatur, quia statim sumpto cibo instrumenta cibi per purgationem inanita per virtutem retentivam sensu naturali moventur ad retentionem cibi sumpti, unde cum cibo intercipitur solutivum, quod nonnumquam trahitur ad epar et fit causa ictericiae et hydropisis, nonnumquam admixtum nutrimento corrumpit complexionem totius corporis, unde sequitur perpetua corruptio sanitatis, et quandoque moram faciens in stomacho et intestinis ulcerat ea et fit causa dysenteriae timorosa. Unde regula: quanto plus ieiunatur in purgatione, tanto melius corpus mundificatur et securius esse solet. Item impeditur solutivum, cum datur medicina contrariam vim habens, ut opiatae cum vomitibus et solutivis. Unde regula, quod nulla opiata, nullum medicamen recipiens mandragoram, hyoscyamum, fabam inversam vel aliquod stuporiferum est acuendum, ut vicem teneat solutivi (unde [108vb] apud auctores, nisi fuerint imperiti aliquid, nil de his acutum invenietur) vel positi pro solutivo, quare, cum volumus uti paulino pro solutivo, deminuius opium. Item male dantur omnia constrictiva, ut zucarum rosatum et similia, nec obstat, quod soleo in causis frigidis circa finem purgationis cum

calida mel rosatum propinare, quoniam confortat, mundificat et lavat viscera, ne remaneat in corpore aliquid partibus solutivi, et eodem iure datur brodium pullorum, quod in principio vel medio vereretur, cum sit in via cibi, ne sisteret solutivum, post quod etiam nec statim dormiendum est iure primo. Item nec sunt miscendae medicinae, quae purgant ex diversis naturis et movent materias ad contrarias regiones ex diversis naturis, ut mirobolani et scammonia vel medicinae scammoniatae. Mirobolani purgant comprimendo, coartando et infrigidando, scammonia dissolvendo

[Page 154]

et levigando, unde valde movet vomitum aperiendo et calefaciendo, et ideo purgatio cum scammonia saepe relinquit febrem. Quare omnes videbitis sic purgatos torqueri, dolere, imperfectam et insuavem habere purgationem. Et nota, quod fere idem de reubarbaro contingit, cum admiscetur scammonia, nec obstat de trifera saracenica, quae cum fiat

cum mirobolanis, solet acui cum scammonia. Dico enim, quod male fit. Unde nullum auctorem invenietis, qui tantum de istis duobus acumini bus ponat nisi ex iusta causa et valde necessaria, quod unum possit aliud impedire; immo plures eruditi horrent ea miscere simul. Ad contrariam partem <male miscentur medicinae> ut elleborus, castaneola et stercerac id est tapsia, quae movent ad vias vomitus, cum polypodio, turbit, esula et mirobolanis, unde contradicunt sibi in moribus et operatione, quia prima volunt <sursum> movere, postrema vero deorsum, et hoc dico, si misceantur sic, quod de utroque sit ibi multum, et haec mala compositio est potissima causa, quare quaedam medicamina composita sunt valde periculosa et sumentes haec saepius suffocantur. Item male miscentur cum valde diuretico vel provocante [109ra]sudorem, quia utrumque propter aliud impeditur, nisi forsan, ubi purgandum esset partim per subductionem et partim per urinam, quod innuit Ysaac in diaetis universalibus de diversitate ciborum in operationibus suis secundum diversitatem corticum et medullae. Item regula, quod causam frigidam et defectum caloris innati habentes circa nutrimentum et qui sicca habent intestina, quae quidem multa medicina laboraverint, nisi sint multum alita, cum multum sit in capitulo opilationis, difficillime purgantur per solutivum. Unde regula generalis est, quod iam dicta in hoc capitulo omnia sunt cavenda.

CAPITULUM VIII. DE ACCIDENTIBUS ET SYMPTOMATIBUS SUPERVENIENTIBUS UTRIQUE, CUM SINT IN OPERATIONE SUA, UT SYNCOPIS, SITIS, DEBILITAS ET QUOD NON POTEST ASSELLARE ET QUAEQUE TALIA

In hoc capitulo intendo determinare numerum accidentium, causas et modum fiendi, quae contingunt, cum solutivum vel vomitus sunt in operatione

[Page 156]

sua; in sequenti vero ponam curationes eorum, ne nimis capitulum elongetur. De his, quae contingunt post finem primi diei et post operationem solutivi in die secunda vel tertia, quia sunt alterius considerationis, postea loquar vobis et ponam illa, quae nota sunt et ignota, ne, quantum ad praesentem intentionem, relinquatur aliquid incompletum. Accidentia sunt haec: syncopis, sitis, haemoptoica, debilitas, vomitus, dolor capitis, dolor ventris immoderatus, tortio, tenasmon, singultus, et quod non potest assellare, nausea, amaritudo oris, immoderata vertigo, tremor membrorum, impedimentum sermonis, difficultas anhelandi, ut quasi suffocari videantur, fames valida, sudor et spasmus, quem horruit Ypocras. Item hic de syncopi prius dicendum est, consequenter de reliquis per ordinem. Syncopis, ut ait Avicenna, est destructio maioris partis plurimum virtutum, sensibilis scilicet et motivae, propter debilitatem cordis et aggregationem spiritus totius ad ipsum propter causam moventem eum ad interiora aut propter causam [109rb] praefocantem ipsum interius praeter modum. Cuius causae primitivae antecedentes et remotae plures sunt numero et diversae. Unde, quia nimis occuparemur in distinguendo et foret praeter nostri propositi brevitatem, hic et in aliis accidentibus illas solum causas et curas determinabimus, sine quibus praesens negotium non poterat expediri, reliquas secunda favente fortuna in Practica nostra de aegritudinibus particularibus plenissime distincturi. Syncopizant ergo potionati duobus modis. Vel quia ex aliqua mala corporis habitudine sunt dispositi ad hoc, ut quorum urinae sunt albae cum dolore colli et

humerorum, quare, cum medicina coeperit operari, suffocabuntur, ut accidit cuidam sic disposito

incaute potionato, qui, cumurgeret ad primam sellam, non rediit ad secundam, sed relictis retibus in Domino obdormivit. De hoc genere sunt omnes, qui tremorem cordis pati solent, viribus debiles, nimium senum in ore stomachi habentes, multum repleti. Unde meo consilio his talibus non vituperetis ministerium nostrum et, animae <ne> immo

forsan hoc corporis periculum incurrant, vel nullam vel debilem et securam dabitis medicinam. Vel syncopizant ex malitia medicinae, et hoc duobus modis: vel in principio purgationis vel circa finem. In principio vel quia vehementia sui acuminis mordicat os stomachi medicina, quod est, ut in pluribus, multum sensibile de natura, quare ratione compassionis discurrentibus spiritibus et humoribus ad os stomachi

[Page 158]

quantitas vitalis spiritus determinata a natura in cordis minera diminuitur praeter modum, unde constrictis lateribus cordis et a paucospiritu non potentibus dilatari sequitur syncopis, quod contingere videmus in omni fere dolore immoderato, ut in colica, iliaca, In paroxysmis febrium acutarum et graviter vulneratis. Vel quia medicina est fortiter attractiva, ut elleborus, capsamus et lignum, quod nominatur avornus, quod purgat nimis angustiose, quare his oblati [109va] et moram in stomacho facientibus attrahitur humor multus et attractus subtiliatur in multam ventositatem, stomachus vero dilatatus ex multo humore et elevatus ad superiora virtute ventositatis comprimit diaphragma, cui supponitur in medietate; quo compresso comprimitur cor et pulmo et eorum dilatatio prohibetur, unde sequitur

necessario syncopis. Unde ex talibus medicinis homines periculose saepissime syncopizant, ut accidit circa finem, quia nimis medicina movet vel purgavit humorem alium quam deberet. Unde exeuntibus humoribus et spiritibus praeter modum debilitate calore innato et sanguine diminuto cessat generatio spirituum in concavitate cordis, quare corpus exsolvitur et animal syncopizat. Qua causa syncopizant etiam homines in diebus canicularibus. In ea vero, quae est ex acumine, sirupus violatus cum calida sumptus valde confert in calidis causis vel sola aqua calida, quae constringit

catarrhum de calore, aufert sitim, mitigat acumen flegmatis salsi et reprimit malitiam colerae ubicumque. In frigidis mel rosatum cum calida propinabis; sed quia hoc non possunt accipere in accessione, cum iaceant velut mortui, sic est operandum in accessione: fricentur extremitates cum sale et aqua calida vel aceto, vomitus provocetur, et panis

assus in aceto infusus naribus applicetur, et sorbeatur lac seminum frigidorum calidum factum cum aqua ordeï.

In ea, quae est propter vehementem attractionem medicinae, quae solet accidere circa principium vel medium purgationis ex multa humorum ad stomachum attractione, sic est operandum: exercitetur corpus, ut calefiat interius, et patientem trahimus per capillos, per aures, fricamus extremitates et frontem, ut fiat revocatio spirituum ad exteriora, et haec syncopis non est multum timenda, nisi accidat corporibus vehementer superrepletis vel nisi peccatum fuerit in dosibus medicinae, eo, quod solo vomitu naturaliter superveniente vel provocato vel ventris solutione superveniente liberabitur. Syncopis periculosa, quae venit, cum purgatio excesserit quantitatem

[Page 160]

materiei et tenorem [109vb] virtutis, valde difficilis est ad curam, cum contingat ex debilitatione stomachi, paucitate humorum et defectu spirituum et facilius sit repleta inanire quam inanita replere. Cuius cura sunt laudabiles cibi et potus, electuaria et pulveres aromatici et quaecumque de facili impurum in laudabilem sanguinem convertunt, ut gariofilatum magnum, diarrhodon abbatis, utraque muscata, diarrhodon Julii, diamargariton, diapapaver, nobile claretum. Quae omnia debent acui cum musco resolutum cum aqua rosata vel vino nobili. Item regula, quod in hoc casu somnifera sunt exhibenda, quae naturalem calorem non multum possunt impedire, ut diapapaver et lactuca, delectabilis varietas ciborum et exercitium moderatum. Item alia regula, quod numquam solventibus ventrem est utendum.

Et nota, quod hic non dixi nisi ea, quae proprie his tribus speciebus syncopis competere videntur. Nunc vero intendo dicere, quaecumque cum pauca distinctione competunt in omni specie syncopis, et quorum primum est, ut deliniantur nares cum aqua rosata, aqua muscata vel camphorata. Item aromatica naribus applicentur. Item, nisi sit ex calore, vinum purum, clarum, subtile et aromaticum statim aggregat spiritum in corpore et confortat virtutem et finit accessionem, et quandoque ponimus in ipso circiter duo grana de musco aut de diamusco quantitatem, quae competere videatur, et sit calidum in his hominibus, qui fortius opprimuntur, si gustare possunt, alioquin frigidum potetur. Item calefiant

extremitates, fricetur stomachus; confert etiam multum, si accipias panem calidum et scindas per medium et desuper spargas pulverem istum: recipe rosarum drachmas duas, cinnamomi, coralli rubei ana drachmam unam et semis, ligni aloes drachmam unam, et superpone ori stomachi. Applicentur naribus odorifera, ut rosa, myrrus, muscus, lignum aloes.

Et cum est ab evacuatione et debilitate, ad sorbendum detur aqua carnis aromatizata, et fiat, ut sugat panem infusum in vino odorifero, cui [110ra] aqua rosata sit admixta; et ex eis, quae valde ei conferunt, est, ut in potu sumat aquam fortis decoctionis, cui admixta sit decima <pars> sui de vino odorifero et aliquid de vitello ovi et aliquid de suco malorum

dulcium aut mororum aut acetosorum secundum quod exigit dispositio. Item cibetur frequenter et modice. Et in ea, quae est de

repletionem vel ex multa humorum attractione, caveatur cibus vehementer. Et in syncopi, quae est ex quocumque genere evacuationis, sumatur illud,

[Page 162]

quod dicitur in capitulo suo. Verbi gratia, in ea, quae est ex fluxu ventris sanguinis, sumantur ea, quae valent contra fluxum ventris sanguineum, et in ea, quae est <ex> excursu sanguinis narium vel menstruum, sumantur, quae valent contra ipsum; et sic de singulis. Sufficiant haec abbreviata de syncopi. De siti, debilitate, dolore ventris et tortione nihil duximus innovandum nisi quod supra determinatum est in capitulo illo <de cautela eius>, qui purgatur, praeter quod, cum sitis fuerit de frigiditate vel indigestione, sedatur somno; cum autem de repletionem stomachi ex acutis humoribus,

vomitum vel ventris solutione superveniente sedatur, in qua securiter potatur serum calidum copiose, vel quod efficaciter operationem adiuvat solutivi, immo etiam per se solvit, si frequentetur, cum omni securitate. In ea, quae est de immeditata desiccatione, valent remedia syncopis de inanitione. In ea, quae est ex bonitate purgationis et corporis non immoderata vacuatione, super potum expedit expectare. Si superveniat haemoptica, sic est subveniendum: stringatur vomitus, qui solet esse potissima causa sui, sicut in proximo <capitulo> dicemus. Item ligentur crura prudenter et coxae. Generalis regula est³⁷, si non obstaret dies purgationis³⁸ vel debilitas virtutis et similia, quod fieret minutio de mediana, sed quia spiritualia sunt debilitata, minuendum est de epatica, quod ubique tenet. Unde si perseveraverit, sequenti die vel tertia minuendum erit. Item regula, quod ab omnibus [110rb] irritantibus tussim est abstinendum, ut aceto, aqua frigida, rebus ponticis et stipticis, licet sedent, frigore capitis et extremitatum, coitu, balneo, potu vini plurimi et intueri res rubeas, multo sermone, ab omnibus acutis et aperitivis, ut piper et acrimina. Alia regula: utendum est lenitivis, mundificativis et suaviter stringentibus, ut liquiritia, amydo coquato, colatura furfuris, pultibus ordeaceis cum pulvere sanguinis <draconis>, decoctione corallorum et haematitis; et portulaca sicca vel viridis, qualitercumque sumpta, optima est in hoc casu. Item electus iaspis statim stringit, si suspendatur ad collum sic, quod tangat pectus immedicate, vel si portetur in digito, et quanto maior fuerit, dum tamen bonus, maiorem efficaciam habet. Fricentur extremitates et inducatur somnus capite elevato, et iaceat super latus, unde sanguis exire videtur. Eodem modo curatur vomitus sanguinis ex ruptura venae in stomacho vel in meri.

[Page 164]

Vomitum et nausea supervenerit potionatis quandoque propter horribilitatem medicinae, et tunc medicina dulcoretur vel lavetur os cum aliquo, quod occultet saporem medicinae, ut aceto vini granatorum, sorborum, martianorum, agresta et similibus, quae quandoque medicinae sunt admiscendae, et quandoque quia <virtus> retentiva fundi stomachi est

fortis et expulsiva oris stomachi fortis, unde totum convertitur ad vias vomitus, quod attrahitur, vel quia de natura medicinae est, ut convertat humiditates attractas ad stomachum, unde habet purgare per vomitum, sicut nux vomica et elleborus; et tunc non oportet sistere vomitus, nisi laedatur inde pectus vel debilitetur infirmus. Item vomitus quandoque fit ex debilitate stomachi, et tunc cum distinctione causae calidae vel frigidae subveniatur cum diacitoniten et potu boni

vini vel diagalanga, diarrhodon abbatis, pliris vel diamargariton; quandoque fit ex humoribus attractis ad stomachum et non expulsis, quod [110va] scitur per gravitatem stomachi et extensionem et quia non satis purgatus est et vomitus multus est humorosus. Per vomitum vel per ventrem purgari statim convenerit, si virtus sufficiat aegrotantis, unde ad irritandum fluxum vel stringendum vomitum cristere statim vel suppositorium sunt fienda. Item quandoque est vomitus ex medicina, quae villis stomachi inmiscetur statim, etiam perfecta evacuatione, quod scitur, quia satis evacuatus est

et vomitus nullius humoris abundantiam ostendit. Et tunc somnus solus sufficit ad curam in omni vomitu, exhibito prius sirupo rosato cum aqua decoctionis masticis, ut medicina a villis stomachi exprimatur. Et mirabile est, quod calefactio extremitatum iuvativa est in sedatione vomitus, propterea quod attrahit, et in frigidatio earum iuvativa est in sedatione

vomitum velocis calidi, propterea quod in frigidat, et similiter in frigidatio stomachi. Item potus vini tepidi confert sine impedimento et panis assus aceto infusus, cum odoratur. Item rosae vel mintha communis bulliat in optimo aceto, in quo spongia intincta furcellae pectoris superponatur, quia satis stringit. Item zuccarum rosatum simplex vel acutum ita, quod in uncias duas ponatur acaciae, sanguinis draconis, masticis ana drachma una. Item sternutatorium confert statim et cristere est fortius. Dolor capitis curatur facta ligatura artificiosa cum peplo <in> somno. Tenasmon universaliter curatur facta subfumigatione frequenter cum pice Graeca vel resina positus in olla, ano per transitorium id est embotum

[Page 166]

fumum recipiente. Item nates, pectine et plantae pedum cum milio calefacto saepius sacellentur, et sedeat super sacculum, in quo cantabrum sit coctum in vino, et cum refrigerit, permutatio de alio sacculo calido fiat idem. Regula: super assere calidos et in aere calido [110vb] sedendum est, et calefiat locus, ubi assellat, et si <saccula> sint inuncta oleo rosato vel butiro sine sale vel populeon in calida causa vel cum est ex acumine medicinae, quod scitur per ardorem loci, morsuras et punctiones, magis valent. Contra singultum, qui supervenit in principio medicinae, humoribus attractis

ad stomachum et non expulsis, tene flatum et provoca stemutationes, sugatque panem afrum vel armenicum bene siccum ad ignem vel in furno, et cessabit statim. Nota hoc, quia non modicum etiam proficit contra sitim in fluxu ventris, et nihil melius inveni eo, quod dictum est ab Hippocrate. Ab singultu habito, sternutatione etcetera, decoctio levistici frequentata absolvit a passione. Item mollia panis candidi frequenter loti cum aqua et vino facta procul dubio expedit passionem; et cum est aegritudo melancolica, expedit stomachum evacuare vomitu vel subductione, et subfumigato pauco sulfure – nota verbum – provocabitur tussis et forsitan sternutatio cessabit. Contra defectum assellationis, qui contingit vel propter debilitatem solutivi vel

corruptionem eiusdem, puta quia nimis est antiquatum vel

factum est ex medicinis putrefactis, unde vehemens argumentum contra hypothetanos et magos, qui operantur cum medicinis, quarum ignorant compositionem vel quas componunt ex speciebus putrefactis, quo se et alios exponunt fortunae vel casui, vel propter multam constipationem ventris aut propter frigiditatem stomachi et medicinam resolvere non potentes aut propter indigestionem materiae vel ex fortitudine retentivae <virtutis>, quae est in fundo stomachi, et debilitate expulsivae sive propter fortitudinem membrorum in retinendo humiditates, quae sunt in eis. Primum cognoscitur per medicaminis acumen ad quantitates aliarum specierum vel ipsius electuarii, nisi debite proportionantur. Verbi gratia, ad libram electuarii duas drachmas scammoniae; in pillula una ad totum sit medietas scammoniae [111ra] electae. In reliquis vero medicinis idem per similia, iudicando, quod super latius determinatum est; licet meo iudicio

apud volentes securiter et salubriter operari nihil sit evacuandum, quia nec in libris antiquorum philosophorum et novorum adacutum nec de eorum praecepto acuendum aliquid invenitur, licet quandoque in inceptionibus de praecepto eorum multiplicentur

[Page 168]

aliqua solutiva. Corruptio scitur ex malitia compositionis formali vel materiali. Multa constipatio ventris scitur ex usu desiccantium vel naturali siccitate intestinum et quod diu est, quod nec large et lubrice assellavit, et similibus. Propter frigiditatem stomachi, eo, quod multitudo ciborum et maxime frigidorum solet eos multipliciter aggravare, et tandem solet esse descensio cibi, et actualis frigiditas sentitur circa regionem stomachi, et in vomitu pars medicinae emittitur indigesta paucae vel nullae resolutionis, et ante solutivum solent pati eructuationem acidam vel putentem, alices et oscitationes et aquosae salivae multitudinem cum extensione stomachi, vehementia appetitus, rugitu et indigestione.

Propter indigestionem materiae <eo>, quod <digestio> non intenditur vel remittitur secundum quod fuerit opportunum ex substantia ei data et <deficiunt signa> reliqua, per quae digestio declaratur. Ex fortitudine retentivae et debilitate expulsivae <virtutis>, quod scitur, quia naturaliter est stipticus vel praecesserunt, quae confortant retentionem, ut cotana, cerasa acetosa, silocaractae et similia. Propter fortitudinem membrorum, quod scitur, quia solidas habet carnes

et facile digerit, quod assumit, parum egerit, et omnia cibaria videntur sibi competere nec ab aliquo laeditur, quod assumit. Contra primum non est de consuetudine nostra iterare solutivum, quia ex hoc saepe periculum nasci solet, sed die septimo a pura ratione iteramus securiter cautius eadem purgatione vel alia, quae magis competere videatur. Antiqui tamen tempestive solebant <iterare solutivum> secundum arbitrium [111rb] debitum et existimationem, quae non multum recedit a veritate, offerendo <de> eodem solutivo vel de aliquo alio, quod magis competere videatur, tantam quantitatem, quod cum operatione primi solutivi sufficeret ad purgandum, quod nec multum reprehendo nec est propter periculum apud prudentes dignum, ut consumatur. Et dulcoratur tamen in hoc casu vel caute securissima medicina

nullius abominationis, quia ex his stomachus indignatur, sicut dulcia solutiva, ut electuarius de suco <rosarum>, oxy et similia. Item solet distinguere: si virtus fuerit fortis et patiens tolerare poterit securiter famem, detur iterate de solutivo; etiam si sit propter constipationem vel defectum expulsivae, quae ante debuit per lubricantia confortari: dico, quod in utroque casu erratum fuit in solutivo, quod ante debuit dari super ventrem constipatum.

[Page 170]

Item contingit hoc idem ex immoderata humorum attractione, unde stomachus extenditur et inflatur <et> spiritualia comprimuntur, et plerumque, sicut saepe, ex elleboro contingit et medicinis vehementis attractionis, et maxime in corporibus superrepletis suffocatio sequitur patientis, quare sic est subveniendum: inungatur venter cum butiro,

dialtea, oleo violato, simplicibus vel commixtis, ad ignem vel ad solem vel in stupa. Item fiat cristere, quod fere in quolibet horum casuum subvenire solet, hoc modo: malva, mercurialis et branca ursina et cardus benedictus bulliant in aqua, vel si non habentur herbae, fiat hoc idem de solis violis vel aliis floribus, et circa finem decoctionis addatur cantabrum, et parum bulliat, deinde coletur, colaturae addatur parum olei vel unguenti vel axungiae et mellis despumati et parum salis et cepidis. Initiaturi nota quod fere omnes peccant in cristerizando, quia melius fit supino corpore quam prono, quia idem miscemus. Si fuerit sagax, potest cristerizare se ipsum supinus secure; faciunt [111va] Solani et

Saraceni, et maxime expedit istud dominabus. Item in declinatione febris cum dolore ventris et febribus acutis, nisi sint

cum stupore, ut in lethargia, nocet multa salis appositio, quia licet tunc mordendo ventrem moveat, in posterum tamen constipat nec permittit, quod aqua tantum remaneat in intestinis, donec squibalia humectentur, doloris vehementiam irritando. Unde regula: in cristeribus dysentericorum, haemorrhoidas habentium et qui habent intestina multum sensibilia, numquam sal est apponendus. Item si cristeri praedicto resolvatur, resolvam tres drachmas oxy vel benedictae vel alicuius alterius competentis solutivi: fortius operabitur; vel fiant suppositoria supradicta. Si ex humorum indigestione, laborandum est, ut medicina assumpta reiciatur, ne retenta sit causa alicuius symptomatis timorosi, ut ictericiae, dysenteriae, corruptionis sanguinis in venis et similibus; quare ponatur in loco calido et bibat aquam calidam copiose et digitis in os immissis vomitum provocet, donec alleviatur, et si nec sic vomere potest, pennam oleo infusam et expressam gutturi immittat, et cum aqua calida aliquot olei guttas bibat, et statim nauseabit, et si nec sic vomere potest, praedicto cristeri utatur, et sic evacuabitur a medicina.

[Page 172]

Si per fortitudinem membrorum, dixerunt antiqui, quod tunc fortior esset danda medicina, quod mihi non placet, sed plerumque contingit, quod oblatis duabus medicinis nullatenus solvuntur, sed fortius torquentur et maiora pericula instant. Quare tutius esset, si nihil iterato fuisset oblatum sed tempus expectaretur aliud ad purgandum; nec his, qui sanas habent carnes, nisi ex causa multum necessaria, sint offerenda medicamina solutiva, sed est regendus paucio cibo et potu cum multa cautela usque ad diem tertium decimum actualiter feniculum sumendo, sicut solemus facere iis, qui non plenarie purgantur, donec omnino mundificentur medicina. Ex frigidityte stomachi [111vb] contingit saepe, quod medicina non dissolvitur in stomacho nec complet operationem suam usque ad duos dies, quare fortius solvuntur in die tertia quam in prima, et ideo manibus calidis cum oleo laurino vel nardino, unguento aureo, agrippa et similibus stomachus in stupa vel ad ignem vel ad solem fortiter est inungendus, et lateres calidi sunt superponendi vel filtrum madeffectum in aqua decoctionis feniculi, anisi, pulegii, origani, calamenti et similium, quanto calidius poterit tolerari.

Et generaliter hic et in omni laboriosa purgatione succurre, ut determinatum est supra in capitulo <de cautela eius>, qui purgatur. Et cum <vis> dare elleborum, move corpus et cave somnum, nam per somnum sistitur omnis purgatio (nisi sudor sit a motu moderate, ne sudor fiat), quia exinde constipatio sequeretur. Sequitur de amaritudine oris, quae quandoque contingit ex amaritudine medicinae linguam inficientis, et tunc est dulcoranda, ut supra docui, et os acetosis colluendum vel insipidis, et pontica vel stiptica masticanda sunt. Quandoque fit ex vomitu materiei et humoribus secum mixtis vel fumis ab ore <stomachi> solutis, et tunc sufficit lavare os cum praedictis vel traicere salivam alicuius electuarii saporiti, ut diarrhodon, zuccarum violatum, diacameron vel diamargariton et similia, et generaliter valent, quae hic de siti dicta sunt superius. Vertigo fit ex multitudine ventositatis in capite et fumositae materiae, quae admixta spiritui visibili turbant ipsum et faciunt girari, unde res exteriores immobiles sub motu girativo apprehenduntur: hos debes ponere in loco obscuro et ligare caput cum peplo et salivam feniculi masticati oculis immittere, et cessabit statim.

Tremor membrorum fit quandoque ex immoderata evacuatione deficientibus spiritibus et humoribus, et cura est cura spasmi de inanitione; aliquando ex timore, quia tactus est infirmus, et tunc sta secum et segura eum ab omni timore ardua promittendo et quae plus placere solent; aliquando ex multitudine superfluitatum [112ra] aggravantium membra, et

[Page 174]

tunc insiste purgationi et recurre ad ea, quae confortant virtutem, sicut electuaria proximo <capitulo> dicta, et elineantur nares infirmi aqua rosate vel muscata vel, si expedit, etiam camphorata. Sequitur de impedimento sermonis, quod quandoque contingit ex syncopi superveniente, et tunc succurrendum est syncopi, sicut diximus; aliquando ex debilitate immoderata vel ex inanitione, et tunc solebant <competere> aliquid vitella ovorum calefactorum ad ignem; cito enim

reparant spiritum et confortant virtutem neque praepediunt operationes solutivi; medicina namque sunt inter stringere et laxare. Vel offeratur brodium laudabile pinguis caponis abiecta pinguedine cum paucio pane vel vinum tepidum moderate mixtum vel claretum. Masticet salivam et odoret pomi ambrae, et generaliter fiant ea, quae in syncopi dicta sunt. Quandoque fit ex immoderata dissolutione humorum et desursu ad lacertos gutturis et nervos vocales, et tunc valde proficit calore vinum ore tentum et inunctio suae pinguedinis circa guttur et collum. Item si teneatur in ore theriaca electa et saliva traiciatur statim reparatione, maxime si fuerit balsamata, quia balsamus in hoc casu obtinet principatum; et si lingua ingrossetur et tumescere videatur, corpore non existente plectorico, quia tunc expediret cephalicam aperiri, minuendum <est> vennis, quae sunt sub lingua, nisi ante raucedo fuerit, quacumque hora diei, quidquid dicant medici. Sunt enim multa circa flebotomiam et alia tenenda, non sicut ab antiquis determinatur. Contingit haec etiam passio quandoque ex nimia repletione stomachi, unde ratione compassionis motus spiritualium prohibetur, quare et sermo, et tunc ne timeas, quia superveniente vomitu vel solutione curantur. Scitur per extensionem

stomachi et sensibilem per tactum repletionem et quia per medicinam parum purgatus est, et solet tunc magis contingere cum purgatione circa principium et in corporibus repletis vel quae

[Page 176]

diu cessaverunt a purgatione. Ex eisdem causis fit difficultas anhelandi, et [112rb] curatur eodem modo, et solet hoc contingere maxime ex elleboro, aurino, castaneola, quae propter periculum non amamus, et ex reliquis vomicis maedicinis, quae proprie operatione habent compressionem spiritualium operari quam ceterae medicinae. Item regula: elleborus proprie commovet singultum, sudorem pectoris et faciei, vertiginem, tremorem totius corporis et, quod deterius est, spasmus inanitionis et syncopim timendam. Nonnumquam contingit fames valida stomacho mundificato per medicinam, et tunc sorbitionibus paulatim consistendum, si constat, sicut dicemus deorsum, quod corpus sit mundum a medicina; alioquin vomitus, ut supra dictum est. Vomitus irritetur et medicina confortetur in frigida causa pliris arcoticon vel diamoron, in paupere dianthos, diagalanga vel diacimino; in calida zuccaro violato, diarrhodon cum musco; in utraque causa diarrhodon Julii vel diamargariton in divite, in paupere melle rosato bene facto, ut zuccarum rosatum videatur. Sudor timetur, quia medicinam ad partes cutis <trahit> et sic stringit et miscet medicinam cum humiditatibus nutritivis, et hoc malum, quare moderate debent cooperiri homines, cum accipiunt medicinas, et calefieri

moderate, maxime qui de consuetudine cito sudant. Si acciderit, non stringatur, quia periculosum est, nisi multum debilitaret, et tunc stringe paulatim unguendo corpus cum oleo rosato vel myrtino aut cum aceto vel cum albumine ovi confecto, pulveriza corpus pulveribus constrictivis et aromaticis sicut sandali rubei, boli, masticis, sanguinis draconis et

similium, et paulatim infrigida et rorationibus aqua rosata et ventilando. Sequitur de spasmo, de quo nota, quod sicut in febribus de repletione rarissime solet esse, sic et in hoc casu; quandoque tamen contingit, quod humores per medicinam dissolvuntur, moventur et transmittuntur, sed ad stomachum et intestina nec plene attrahuntur nec expelluntur, unde

replentur vacuitates venarum, arteriarum et raritates nervorum, quare cum extendantur in latum, [112va] necessario increscantur in longum, et sic membrorum motio prohibetur, quod solet contingere, cum medicinae fuerint nimium dissolutivae, ut euforbium, scammonia et similia. Cognoscitur hoc, quia parum purgatus est nec passus est aliquam purgationem immoderatam per vomitum vel sudorem vel alio modo. Item haec differentia inter spasmus de repletionem et de inanitione, quia de repletionem cito venit et cito recedit, de inanitione non sic subito, sed tarde venit et tarde recedit.

[Page 178]

Regula: maxime fit hoc in corporibus frigidis, cum purgantur, et in quibus superfluitates multae sunt. In hoc casu pone patientem in loco calido et exspecta, <donec> expurgatio compleatur, et cave, ne inunguas ante mundificationem, ne prohibeas resolutionem superfluitatum. Si nec sic dissolvitur, iterum solutivum debile, quod est fiendum in omni <in>moderata repletionem. Post hoc ungue totum marciaton acuto cum castoreo vel oleo sinapino in stupa vel ad ignem, et melius est ad solem. Si fit de inanitione, quod scitur, quia superpurgatus est, valde debilitatus, musculi manuum et tibiarum valde diminuti sunt, forma corporis ostendit immoderatam desiccationem, et semper solet instare solutivo

– ascolta verba – spasmus ex elleboro et consimiliter et singultus, quod plurimi periculose intellegunt: fac tamen, quod poteris, ne pro nihilo habearis et quia, si obvietur ei, antequam ultimetur, non omnino resistit actioni, sicut nec reliquae corporis desiccationes innaturales. Et quod de elleboro dixi, cum usus crebro sit tempore antiquorum, intellegendum credas de qualibet medicina laxativa: immoderata immoderate. In hoc tamen casu sic operandum: reficiatur cibus laudabilibus et humectantibus per casum virtutis, et parum post horam ponatis in balneo dulcis aquae remissae caliditatis, et ilico ferantur [112vb] ei electuaria humida, resumptiva, aromatizata cum musco, temperata in frigore

et calore, et si parum accesserint ad latus caloris, non nocebunt, ut diamargariton, diapapaver viatici capitulo tussis, electuarium ad restaurationem humiditatis et similia, vel ova sorbilia vel lac asininum vel caprinum, praeparatum sicut docetur in diaetis universalibus vel mox mulsum, et hoc melius, et stet in balneo parum, donec turgescant et rubescant membra, et tunc extrahatur, antequam sudet, quia hoc esset perniciosum, et inungatur circa iuncturas et origines nervorum et lacertorum et circa caput oleo rosato mixto cum lacte mulieris, et humiditas balnei conservetur. Tunc pone eum in lecto levi et molli, ubi sunt pulvinaria rosarum, violarum, foliorum et florum myrti, panni madefacti in aqua rosata, et hoc fiat bis in die, si poterit tolerare, et caveatur super omnia ab excessu frigoris vel caloris, labore, motu et ab usu omnium, quae desiccant, leniter fricentur pedum et manuum <plantae> per manus puellarum et nobilium dominarum, fiant omnia munda et nitida coram ipso, renoventur vestes saepe. Cibentur saepe et parum simul, et sit cibus eorum ex olla epulari primatum vel nuptiali, quia saporosior est cibus et

[Page 180]

magis nutrit, quando in coctione plurimum sociatur; et cum multum de eo simul coquitur et bene custoditur, unum cibarium ex alio efficitur saporosum, et in vase veteri et consueto cibus facilius coquitur et saporosior praeparatur, et attendendum etiam, quod in macello carnes parantur amplius saporosae, tardius putrescunt ibi et amplius reservantur,

quare fastidientibus maxime competunt isti cibi. Item regula: balneum eorundem valet esse ex aqua dulci, in qua coquantur herbae humectantes, ut [113ra] malva, malvaviscus, cardus benedictus, viola, branca ursina et similia. Item cum est in balneo et etiam extra, mulgeatur super caput eius lac muliebre, quia multum infundit et humectat;

similiter, si solvantur ibi vitella ovorum multa et oleum violatum. Item regula: inunctionibus in hoc casu potissime utendum est et emplastris humectantibus circa loca exitus et originis nervorum. Unde anatomia hic et fere in omnibus aliis passionibus ad bene curandum requiritur necessario. Item cum hic spasmus soleat circa tibias et reliquas extremitates saepius apparere, illic beneficium curationis potissime apponatur. Fiat tale emplastrum: radix althaeae <id est> bismalvae, branca ursina, viola, cardus benedictus, malva communis bulliant in aqua et cocta fortiter exprimantur

et farina48 lini et fenugraeci cum aqua praedicta in mucilagine psillii conficiatur addito butiro vel axungia recenti, et fac emplastrum spinae, pectori et occipitio et sub ascellis, praecedente inunctione cum hac mixtura: recipe populeon, olei violati, mandragorati, rosati, butiri candidi cum sale ana partes aequales, et si praedicto addideris axungiam gallinaceam vel medullam cervinam, melius erit. Item si praedictum emplastrum conficietur cum sola mucilagine decoctionis radicum malvavisci: miro modo valet hic et ubicumque opus fuerit remollire; et nota, quod si bis assit, nullo modo puto curam possibilem. Item in fine capituli hanc do regulam generalem, quod hi per omnia sunt regendi cum resumptivis et humectantibus, sicut ptisici et ethici et consumpti, et convertitur cura tota. Magis mihi videbatur proficere ad doctrinam, symptomata iungere cum suis [113rb] curationibus quam separare, et iam simul posui universa et cetera. Haec etiam <si> supervenerint vomitui, in nullo curationem varietis. Sunt et quaedam alia accidentia vomitui tantum appropriata, de quibus expediam in hoc loco, et sunt ista: angustia, tensio cum dolore viscerum, egressio oculorum cum rubedine, interiectio vocis, surditas, tremor cum vertigine et singultu, et istud proprie elleborus et nux vomica

[Page 182]

<faciunt>; quibus nisi cito succurratur, peribit infirmus. Succurre ergo cum cristere, quod vos semper practici debetis habere vobiscum, provocantibus vomitum, et sic evadet suffocationem. Tunc offeras mel rosatum cum decoctione alicuius extenuantis ventositatem et conforta virtutem sicut dixi. Oculi ligentur superpositis duobus pulvillis, venter levi

fascia stringatur, quod fiendum est in his, qui laborant debilitate capitis et oculorum, et ibi posito principio, antequam vomitus irritetur [...]

